The

Robert E. Gross
Collection

A Memorial to the Founder
of the

Lockheed Aircraft
Corporation

Business Administration Library
University of California
Los Angeles

Oroſij Annilonis
diſſertatio

DE BELLO DANO-ANGLICO.

Deq; diſſenſionum inter geminos populos, contentionumq; cauſis,

Imprimis autem

De iniqvitate Anglici Scripti, qvo, in denuntiandâ hoſtilitate, & gentium perpetuas conſvetudines; & ſupremam per orbem Majeſtatem, violarunt.

Ad exemplum Pariſiis impreſſum.

HActenus Majeſtas, ſupremi character Numinis, velut traducto in terras infinitæ illius potentiæ participatu, ſupra omne genus humanum extulit faſtigium, nullâ poſt Deum tutelâ, qvam ſuâ tutior; id eſt: Regum inter ſe omnium nexu, & ſociæ illius dignitatis mutuâ & æternâ conſervatione: Qvibus ut rerum omnium curam, ita ſuorum profectò dedit Deus, ut apicem gloriæ ſuæ, ſummæq; poteſtatis magnitudinem, qvam privatim ſinguli, tam in commune omnes defendant. Actum eſt de præſtantiſſimo Naturæ opere, & periit in capite ſuo genus humanum, ſi coronatos vertices ipſi convellant Reges, & qvam jure gentium in cives habent poteſtatem, in communis faſtigii probrum & convitium convertant.

Majeſtas communis dos Regum

lædi in uno non poteſt, ſine omnium fraude.

Et ideo ab omnibus protegi debet. Tuenda unicuiq; Regi eſt reverentia ſuprema Regum, ne in æmulum hoſtemve ita exerceat ultionem, ut in omnes exerceat tyrannidem; cauſæ ſuæ, & ut voles, æqvitatis tam ferox vindex, ut publicam Orbis conculcet. Qvid opus erat abolere Cromwellos, & qvicqvid Enceladûm, monſtrorumve in ſupremam dignitatem armat impietas, ſi lacerandæ purpuræ negotium ipſi occupant Reges, ſpretæ majeſtatis formidandi auctores, qvi cuſtodes ac vindices eſſe debebant. Qvid futurum erat Jovi, ſi qvàm Gigantes cœlum, tam Dii ipſi impugnaſſent? Ne qvam majeſtatis publicæ tutelam deſperat ſine concordia cœlum; putent ſe Reges in terris, atrocibus aut convitiis aut injuriis conſervaturos.

id probatur Cœterum nil ſimile viderat jam dudum, & verò nil ſimile metuerat Orbis; Regibus per Europam non decertantibus, niſi *ſeculorum omnium conſenſu.* intra legitimos bellorum fines. Lacerant, qvis neget? hoſtium provincias, non hoſtium lacerant famam; & de hominibus po-

nunt,

nunt, non de humanitate trophæum. Nulla adeò prærupta bella ſunt, ſane eſſe non debent, qvæ plus peccent qvàm reparare poſſint, & aliqvid bello acerbius comminiſcantur. Rapiunt tela contra armatos, non contra armatorum famam, & cum una gente, non gentium omnium jure, id eſt; genere humano & univerſitate rerum præliantur. Ipſe Turca, qvoties indicit bellum, jactat ſuam majeſtatem, non violat alienam, & titulis prius honorum, qvam colluvie militum hoſtem inundat. Vidimus non ſemel Galliarum Reges dare Hiſpanis, & accipere invicem nurus; dum ſævâ interim contentione de regnorum limitibus concurrunt: qvicqvid duri, ſævi, horridi eſt, egeritur in acie, citra privati affectus aut morum cladem: nec credunt contraria hæc duo eſſe: arma & honeſtatem. Ludovicus amat ſocerum, odit ſoceri vires; & Philippum à Rege Hiſpaniæ tenerrimâ diſtinctione ſejungit: id eſt: veneratur in toro Regem, quem perſeqvitur in throno, & colit privatim affectum; qvem ratio ſtatus in publico negotio excludit.

Et exemplis Ottomannorũ

Gallorum

Hiſpanorũ

 Qvic-

et gentium in univerſum omnium.

Qvicqvid ferociſſimarum usqvam gentium eſt, qvicqvid in his poteſtatum, ſic gerunt bella, ut ne commune Regum vinculum, & ſupremi illius faſtigii communionem disſolvant: in ſæviſſimis etiam animorum procellis perſtante amore; & ut hunc demas, perſtante dignitatis regiæ reverentiâ, velut ſacro illo termino, qvem nulla vis, nullæ injuriæ convellant.

Ut conſtet:

Qvo inſolentius accidit orbi tremendum nuperi diplomatis carmen, in ſummam Dani nominis, ſed hoc parum, ſupremæ etiam per Daniam Majeſtatis convitium & ignominiam detortum; dictatum à Rege nuper fœderato, nunc etiam conſangvineo: qvi cauſæ ſuæ præpoſtero amore, ultra decori limites, & acrius qvam par eſt, provectus irâ, ut monſtret æqvitatem privatam, lacerat publicam; adeò majeſtatis alienæ oblitus, ut ſuam in aliena proſcindat: magno in honeſtatem publicam, magno in ſangvinem, ſed peſſimo in ſeſe exemplo aut iniqvitate. Qvis vindicet à turpitu-

Anglicum diploma in R. Fridericum

improbum eſſe

pitudine ſeculum noſtrum, & factum inſolens omnibus faſtis eradet? ut convitiis conſciſſam purpuram, ſed conſciſſam à Regibus; & ſummam in terris poteſtatem contumeliosè traductam ſcriptis, ſed Regum manu; aut neſciant poſteri aut non imitentur. Nil inauſpicatius aut feralius ulla vidit ætas! denuntiatione publicâ bellorum, conſvetudine gentium & legibus receptâ, in ſummam detortâ iniqvitatem: antea indice belli, nunc demum causâ. Qvanqvam utinam ſolis convitiis peccaret; nunc addita infamia, & qvæcunq; morte terribiliora metuuntur mortalibus: niſi mitius tu credas probris & dedecore, qvam ferro aut telis configi. Vidit in patre Carolus, qvid tentare in Reges irreverentia Regum posſit; & ſi exemplum metuere non curat, abhorrere tamen debeat ſupremæ Majeſtatis contemptum; felix diutius, qvàm illa ſit, non futurus. *inauſpicatum*

Qvanqvam non deſint qvi liberali calamo, culpam à Rege transmoveant in popu- *Qvanqvam ſint qvi in po-*

pulum Angliæ, ferocu-lum

pulum, feroculum illum & conſvetudinis ferè maritimæ etiam in terris memorem. Eqvidem totam gentem non incuſo, nobilem illam portionem Europæ, & ſi artes ac navigationem ſpectes, magiſtram Orbis: Nemo tamen mihi facile negaverit, quam populus æſtui maris, tam populo imperare æſtum quendam marino non abſimilem, & qui omnia proruat impetu, feroci appetitu reponendi doloris. Hinc aliqua ſemper videas in parvo hoc orbe exempla, quæ timeat ingens; & qvæ ideo Draco non damnavit in legibus, quod de

Et Cromvellianæ factionis reliqvias

audaciæ auctoribus deſperaret. Et infecit hos mores Oliverianum nuper ſeculum; a quo recentes haud ſanè pauci, æternam in animis Rempublicam, id eſt, æterna in Reges odia conſervant. Hinc, ſicubi data via, qvum in ſuos non audeant, in peregrinos fulminant Principes; & eâdem jam contentione in curiis, qvâ olim in caſtris uſi, qvicqvid ſangvine non poſſunt, atramento inqvinant. Hi averſi à Danorum amicitia, qvos flagitioſiſſimè incubator noviſſimus oderat, facerent ſi poſſent in Dania, qvod

Ca-

Caligula voluit Romæ; acerbis conſiliis & neſcientibus iræ modum. Hos ſuggeſſiſſe conſilia, ſpecie publici egregii traxiſſe qvosdam a proceribus regni, deniq; de peregrinæ potentiæ exiſtimatione & fama tam licenter pronuntiâſſe, ſanctius aliqvantò & reverentius tu, qvam Carolum, credas, moderatiſſimum Regem, ſi relinqvatur ſibi, & qvem, ſeu virtutem ſpectes; ſeu integritatem morum; & qvicqvid in Regibus fulget illuſtris exempli, etiam ambitioſiſſimæ antiqvitati opponas.

Transmoveant culpam

à Carolo, benigniſſimo Rege, ſi permittatur ſibi

Cæterum, ſeu à Regio, qvod nolles, ore, ſeu à qvocunq; demum genio dictata feralis charta fuerit, excidit ſpe ſua & plauſu Orbis, qvem blando ſibi præſagio promiſerat. Qvæcunq; enim dira & cogitatu horrida objecit legentibus, inqvinando nomini Danico, ab acutiſſimis ingeniis in dubium, ab æqvis etiam in invidiam tracta ſunt, nec fortaſſe unqvam magis in alio ſcripto Orbis obſtupuit vim ambitionis: audita vox publica: Haud novam

Horum qvicqvid fuerit

ſupereſſe cauſæ æqvitatem

diſceptatam orbi

po-

cum Anglici diplomatis convitio.

politicam eſſe, juris obtentu, omnibus armis allinere colorem, nec hodie primum jura denuntiationum publicarum in iniqvitatis uſum verſa: pravo more & tot ſeculorum qverelis proſciſſo, qvi cum ſemper deteſtationem habuerit, ſemper repererit imitationem. Cæterum non ſatis ad damnationem eſſe, accuſari: ut narratio a conjecturis abſcedere dicatur, aliqvid præter opinionis præjudicium afferri ad cauſam debere. Eſſe in illuſtri poſita veteris & recentis ævi exempla: omne legitimum bellum juſtitiâ; juſtitiam cauſâ, hanc porro in-

induditatæ fidei argumentis tabuliſve conſummari, qvibus nemo detrahere poſſit integritatis famam. Hoc ore mutam Themidem loqvi per orbem, & pronuntiare de cauſis, verâ demúm & liberali cognitione; in hac unâ pretium hærere veritatis, qvæ fruſtra a ſolis conviciis ſperetur. Cæterum ab his legibus multum diſcedere Anglicam ſcriptionem; qvæ non monſtret injuriam, ſed inferat; inſuper habitâ communi orbis famâ, cui lingvam animamq́; dare niſi bona cauſa non poſſit: meritam prorſus ut malè audiat apud cultiſſimos orbis populos,

los,

los, & pulcherrimo convitiorũ operæ pretio, dum unam iniqve lacerat gentem, ab omnibus æqviſſimè proſcindatur.

Illud ut confirmetur

Hæc licet publico judicio a ſagacioribus, &, ut opinor, verè jactentur; non defuturos tamen non dubites, qvos præjudicio cauſæ occupatos ægrè ad reverentiam veritatis attollas, ni palam qvis & in arenam prodeat, qvi exaggeratius aliqvanto & diſertius ſcenæ Anglicæ detrahat ſiparium, & Hiſtoriâ omni ex Danicarum tabularum & commentariorum fide excerptâ, jugulet fucum, in qvo ſeſe adverſæ cauſæ imbecillitas fatigat. Ea evicit ratio, ut audeam ego, licet in peregrino hic ſolo, tamen gente & familiâ Danus, ad orbis judicium deferre cauſam, & brevi diſſertatione a rerum monumentis exigere veritatem.

Auctor præſentis Scripti

Gente Danus. Sed degens in Gallia

Et verò poſcit à me munus, qvo non ita

ita pridem functus ſum, mandatorum regiorum ad Danicam in Gallia legationem interpres, ut has patriæ vindicias non invitus perſolvam, & diplomatis Anglici, fervidi illius ac præferocis ſcripti, origines & incunabula indagem; qvi qvocunq; ſub Sole verſer, civem me & membrum Daniæ memini, & convitia ingeſta Regi, id eſt, capiti meo, ad me ſentiam pertinere. Superſedere hoc officio poſſem, ſi qvam legationis ſeriem omnem, tam ipſum legationis moderatorem ſuſcitare e cinere poſſem, qvi unus conſcius rerum omnium, de qvibus tanta nunc contentio eſt, iniqvo prorſus deceſſit tempore, non tam ſibi, qvam veritati. Poſt cujus exceſſum ſubſtiti in Galliâ, nec impetrare ab animo potui, ut niſi diſertè juſſus a Rege meo, divellerer ab illo viridario orbis, & imagine amœniſſima gaudentis Naturæ, qvâ nulla ad ſimilitudinem cœli propius accedit. In qva clari ſemper aliqvi viri ſuſtinuere pondus & Majeſtatem literarum, hodieq; velut in publicâ orbis Scholâ & magiſterio conſervant. Colunt ipſi literas, & amant in *Magnorũ & prudentum virorũ*

 aliis,

aliis, qvæque rara eſt munificentia maximi Regis, indagant per orbem ingenia, & pretio invitant ad diſciplinas, id eſt: orbem totum complectuntur benignitate, magnis intervallis ſupra ævi omnis & ſeculorum felicitatem. Et hic Parnaſſus, ſi uſpiam terrarum, exporrigit ſuos colles, & qvicqvid in ſcientiis abditi eſt, in literis retruſi, in moribus ſplendidi, ſupra ſuos vertices attollit. Ac ne neſcias prudentiam cum doctrinâ, & hanc porro cum magnitudine imperii ſui paria facere, non de ſcientiis tantum, non de verborum tantum diſſerunt apicibus, (qvanquam & hæc levia cur quis credat?) ſed ad tribunal ſuum accerſunt qvicquid eſt in moribus illuſtre per orbem. Diſſerunt de populorum fatis, bellis, conſiliis, ut inſpectis præcipitiis, ad qvæ aliorum laceratur fama, vitent aut corrigant ſuum, & orbis univerſi prudentiam cum ſua conjungant.

adducit judicia

Atqve in horum poſtqvam me immerſiſſem familiaritatem, qvod iis non nolentibus

tibus fieri videram, injecti ſunt non ſemel de atroci illo ſcripto ſermones, profitentibus nonnullis, expectare ſe efferum âliqvod & acerbum e Dania reſponſum, qvod infamiam Dano nomini ingeſtam regerat in auctores, & aſperitatem hoſtilis ferociæ luculento Scripto contundat: negante in univerſum ſagaciorum conſenſu, id ſperari a Regis Friderici prudentiâ poſſe, ut in qvantâlibet cauſæ æqvitate, nominis ſui & dignitatis oblitus, aliqvid infra Regem permittat ſibi: id eſt, ut infandâ lingvæ virulentiâ, qvod unum ſupereſt ad immane ſcriptum reſponſuro, majeſtatem ſuam gratificetur hoſti, & ut aliqvà tandem tenus verè accuſari videatur, communis per orbem dignitatis & faſtigii regii

Diſceptantium imprimus an reſpondere ad ferale Scriptum R. Fridericus poſſit? probatur:

Non poſſe ob dignitatem

gii prævaricator, ea etiam qvæ cogitare mens refugit, impingat ſceptris, & convitia, ſatyras cavillas, morſus, plebeia non tantum, ſed fœdiſſima plebis vitia in thronum attollat, adeo iratus genio ſuo, ut apud ſuperos inferorū amet pœnas, qvibus furor & rabies pars ſunt æternæ infelicitatis: eſſe aliqvid in Regibus ſupra Regum faſtigium, Numinis imaginem, qvæ lædi humana manu non poſſit, probris non debeat, & hujus tutelam pertinere ad omnes Reges; cum feræ qvoqve ipſæ tueantur generis ſocietatem; & in communem hoſtem inſurgant:

gant:

gant: qvid ergo? injurias inter Principes, ut perſeqvi lubeat animis, & liceat armis, ita minus decere convitiis; qvi ſoleant ferè honeſti finibus circumſcribere odium, & veritatis negotium tractare virtutis ſermone: calamitoſiſſimâ futurâ regnandi ſorte, ſi ſummæ per orbem poteſtates, non rationibus jam, qvod virorum eſt, non armis, qvod Regum, ſed jurgiis opprobriisq́;, muliercularum telis, ad mutuam infamiam, & honorum diſcrimina, cum tantæ majeſtatis probro & dedecore committantur.

Et hæc in doctorum cœtu haud ſane

ina-

inaniter jactata, repererant æqvos judices, cum ecce redditæ mihi e patria literæ haud abſimilia renuntiarunt: Regem Fridericum ſine tumultu, & qvod ſvavius, citra noxam, non ſenſibus magis qvam voci imperare, exaggerato ſupra ferociam animo, & injuriarum vel neſcio, vel contemptore: Viſo qvidem improbo ſcripto perculſum haud modicè, cæterum auctori magis ſcripti, qvam ſcripto ingemuiſſe, & palam profeſſum: Non pertinere ad ſe diploma, in qvo qvicqvid videat, peregrinum ſit: ſe ciere conſcientiam, qvam non reformidet judicem, aut qvi hujus eſt judex Deum: huic olim geſtorum ſe

Nec velle

ra-

rationem redditurum: de cœtero, convitia, alienum negotium, artemq́, non ſuam non invidere aliis, & haud invitum cedere totâ illâ gloriâ, haud decoræ concertationis: extorqveri á ſe indignationem poſſe, & ſi aliter tueri innocentiam non liceat, poſſe bellum; infamiam non poſſe, & convitiandi impietatem: Ne qvid in conſangvineum Regem delinqveret, ſuæ fuiſſe integritatis; intereſſe nunc famæ, ne qvid velit: deniq; Regem ſe meminiſſe, non convitiatorem. De cætero diras ſe & execrationes hoſtium abominari qvidem, non

 me-

metuere; proviſurum, ne ultra chartas ſæviant, aut cum ictu, ſi qvem moliantur, etiam ferientes abſumant. Hæc Rex Fridericus, prudenti prorſus & generoſâ convitiorum deteſtatione. Qvorum perculſus acerbitate, non hercle victus cauſæ ponderibus, ſua moderatione exaggerat hoſtium aſperitatem, & ſine dicendi pompâ, qvâ carere bona cauſa ſine dedecore, & mala abundare ſine gloria poteſt, ſolâ fugâ & declinatione invidiam omnem exarmat. Videbat duro etiam ori defutura verba, qvibus paria faceret atroci ſcripto: eoq;, ſolâ ſilentii conſtantiâ, velut efficaciſſimo in jurgiis remedio, ut optime loqvatur, pertinaciſſime tacet, & cauſam omnem citra invidiam & morſum tacendo perorat. At herclè loqvitur pro ipſo fama, non mutâ eloqventiâ; loqvuntur mores, & convitiis omnibus imponunt ſilentium, qvorum conſvetudine nil detrahit aliis, nil arrogat ſibi; a famâ, qvod ſpero, conſecuturus virtute, qvod hoſtes à ferociâ fruſtra expectabunt.

Nec deniq; debere

Qvo

Qvo promptius arripui calamum, & impetum cepi, ecqvid contra improbum ſcriptum nuda veritas poſſit, experiri; ne varia in vulgum & parum comperta ſpargat obtrectatio, qvorum apud ignaros altior ſuſpicio primum, mox opinio ſubeat, & neſcientibus cauſas ſola effecta imponant. Scio me non eſſe conſtitutum cenſorem aut arbitrum tanti belli, nec plebeii eſſe ingenii, ſcrutari jura ſummorum Principum; non ignoro tamen, publicis injuriis publicum indictum eſſe bellum, nec privatam qvalemcunq; ſortem obeſſe debere, veritatis profitenti amorem. Publica bella, jura, fœdera, ſicut Principum ſunt negotia, ita judicia ſunt privatorum, & aliqvando etiam vindicta: imprimis ſi Rex tuus, ſi Patria feriatur, magna per orbem nomina, & majora, cum læduntur: Qvis mihi voluntatem extorqvebit ſentiendi recta, & non ſentiendi libertatem. Qvis me vetet mundi incolam, & univerſi civem, cum univerſitate pronuntiare, & cauſam publicam bonorum omnium judicio proſciſſam, ad Orbis tribunal deferre. Nec vero opportunitas mihi (ut

Commoto ob has cauſas auctore

Edendæ ſuæ Scriptionis

qvod licitum per leges gentiū

Et luculentam rei geſtæ cognitionem

unum hoc de me præfari liceat) non adjumenta ad rem, non præſidia deſunt, qvæ omnem copioſi & multiplicis argumenti ſeriem producere in apricum, ſine ambagum involucro poſſint, & aliqvid ſupra communem illam ſentiendi, qvod voles, & arbitrandi libertatem, ex geſtis ipſis, & incorruptis chartarum monumentis profiteri: Non vereor, ne jactantius qvam verius dixiſſe videar, ſi rei geſtæ polliceri commentarios audeam, eâ traditos fide, qvâ geſtos exactosq́; reliqverunt illi, qvi toti negotio ſumma cum auctoritate & magiſterio præſederunt. Interfui legationi Anglicæ in Dania, cum inibi in ſtudio & procuratione rerum ſuarum occuparetur; in illa non rarò aſcitus conſilia, qvorum indicium nulla temere curioſitas accipiebat. Datum tunc introſpicere non in rerum tantum, ſed animorum latebras; eorum etiam, qvibus aditum in mentem ſuam Anglica Legatio permiſerat: datum auctoratas a Rege vel reſciſſas tabulas, rata vel irrita omnia evolvere, arbitrari cauſas, & eorum nil neſcire, qvæ ultro citroq; per Legatos, & inter hos

jacta-

jactata, nec negari hodie a conſciis poſſunt, nec ab æmulis ſine flagitio fingi. Ex his facile eſt de re tota pronuntiare; poſſemq; ſi qvis fidem appellet, ſi ad cauſæ dictionem veniendum, producere ſchedas, poſſem Ephemerides ſuis intervallis diſtinctas, qvarum autographa ſervantur in archivis patriæ, in qvibus interpolandis, nil improbo cuiqvam ungvi, nil ulli prorſus mortalium eſt conceſſum: neceſſario prorſus præſidio ad illa offocanda, qvæ nuda narratione ab hoſtibus, & jejuni ſcripti inficetiis, oggeruntur. Et verò, qvanqvam poſt rapta arma, & jus omne permiſſum ferro, litibus jam & anxiis qvæſtionibus non eſt locus, & ſerum forſan fuerit de telo qveri, poſtqvam jugulo receptum hæreat vitalibus: juverit tamen rem omnem in lucem & apricum protrahere, & veræ cauſæ æqvitatem bono omine proſeqvi, ut reſciſſis convitiorum intemperijs, & qvicqvid hoſtilis objecit ira, pateat qvanta eſt, toti orbi, & exploratius commendetur famæ. Id ut rectius fiat, res omnis accerſenda ab initio eſt; univerſæ contentionis origines inda-

Scriptionis univerſæ inſtitutum.

dagandæ, monſtrandæq́; orbi: rationibus, poſtulationibus, cauſis, momentis, ultrò citroq́; ponderatis aut diſcuſſis; nullâ re omiſſâ, niſi qvæ ad liberalem cauſæ cognitionem non pertinens, poſſit ſine diſpendio ignorari. Excitati ſunt jam pridem per orbem, læſæ pietatis vindices; repertusq́; in Belgis, qvi Anglorum cauſam publico ſcripto convicit iniqvitatis. Accurrit etiam in advocationem Danorum neſcio qvis e Galliâ noſtrâ, nitidiſſimâ manu, ſuo idiomate. Ego ſcribam illâ lingvâ, qvâ Roma adhuc imperat orbi, & in tanti imperii ruinis latius ſermonem, qvam ſacerdotium diffundit.

& ordo Scribam autem eâ brevitate, qvæ nil magnum aut memorabile ſubducet rebus; eâ modeſtiâ, qvæ afferat cauſam nec lædat pietatem; eâ deniq; ſide & libertate, qvam rei geſtæ ſeries, & argumentorum conſtantia extra putidum obſeqvium, & ſervitutis fœditatem poſuére.

Angliæ deſcriptio. Anglia, ſi poſitum ſpectes inſulæ, extra regna orbis reliqva, ſi amœnitatem &u-

& uber terræ, ſupra pleraq; eorundem cenſetur. Neſcio qvis Italus, genti parum æqvus; Anglorum ſingula, qvæ non loqvantur, omni eſſe eloqvio majora pronuntiat. Far, ſiligo, & qvicqvid eſtur bibiturve, ſaporis ſe illecebra commendat: ipſa metalla aliqvid habent generoſius ſuo pretio. Qvod eo mirere minus; poſtqvam ad canes qvoqve, & vermes ſerici textores, viliſſima animantia, tam pretioſæ naturæ genius deſcendat: qvæ in parvo hoc orbe, velut penu qvodam haud pauca repoſuiſſe videtur, qvæ ſparſit per alias gentes, & plerisq; etiam denegavit. Nec ab ingenio terræ, populi abludit indoles, qvicqvid obganniat livor, verè virilis & exſerta; niſi qvod, gentium fere aliarum conſvetudine, ſuis ſe virtutibus nævi & maculæ interponant. Gens vigil & erecta, per omnem naturæ cultum promittit ſolertiam; in artes qvoqve & adyta ſcientiarum haud ſegniter porrecta ſedulitate. Et habent fœminæ, qvod opponant viris, oris amœnitatem. Hic Paphium

Genius terræ

Mores populi

ſuam

ſuam Venus, hic Amathum colit, & ſi uſqvā terrarum, ſeſe Deam oſtentat. Sed hæc infra viros, qvi ſupra armorum gloriam navigandi artibus invaluére, & invaluere usq; ad invidiam; in alio jam orbe poſitâ novâ potentiâ veteris propemodum æmulâ; cujus famam eò minus jactant poſſeſſores, qvò domi etiam & in gremio ſuo, ne regna qvidem integra numerant, ſubq; uno Britanniæ nomine ambitioſiſſimos titulos & terrarum latifundia includunt. Et pelago qvidem potirentur propemodum ſoli, perq; orbem commercia diſtribuerent mortalibus; niſi in adverſo littore orti non ita pridem, Belgæ, tanti qvæſtus ad ſe traxiſſent communionem. Qvi a modicis initiis, & piſcatorum propemodum mapalibus, in eam hodie excrevere magnitudinem, qvæ ſtupori ſit ejus primordia non ignorantibus. Illa enim vix dum unius ſeculi Reſpublica, pars olim & appendix Auſtriacæ potentiæ, nunc excuſſo jugo, & aſſertâ libertate, ſummarum per Orbem poteſtatum ſocia, poſt peritiam rei maritimæ magnis expeditionibus collectam, poſt victori-

Navigatio potentia

Hollandorum deſcriptio.

induſtria

as ad Gades & Oceanum utrumq; ſparſas; poſt Indias plerasq́; & toto hemiſphærio diſſitas inſulas redactas ſub jugum; qvâ Soli via eſt, aut commerciis maria, aut armis penetravit. Nec id arduum gentibus, cœlo ipſo & fluctuum ſeſe aſperitate indurantibus: Non navigant in undis, ſed degunt: Natant certè anteqvam repunt, & in lintribus propemodum prius, qvam cunis jactantur; mox contractâ cum ventorum procellis familiaritate, Æoli utres omnes, omnia Oceani pericula, ac fatum deniqve ipſum contemnunt. Hinc qvicqvid naſcitur per orbem, horum naſcitur commodo; his metunt gentes, his vindemiant: dum viciſſim illi, coactis intra æſtuaria ſui pelagi tot regnorum obventionibus, mercium permutatione miſcent populos, & ultro citroq́; portant orbem terrarum. Digni ſua felicitate, qvi non attaminant alienam, & ſibi qvieti, aliis faciles; qvod rarum eſt in opibus, triumfant ambitionem.

indoles *Divitiæ* *continentia*

Hos geminos populos vicinia primum, mox æmulatio, ad ultimum odia commiſerunt,

Bella inter geminos populos

D

runt, ſævo æſtu & ad Europæ cladem metuendo: Hic novam tu Romam, novamq; Carthaginem videas, niſi qvod priſcæ illæ gentes in immaniora tempora inciderunt. Nos mitiora hodie, & pacem propediem, certe autem a Chriſtiana pietate aliqvid moderatius expectamus, qvam utriusq; populi aut æternum odium, aut alterutrius internecionem. Concurrunt tamen, & dum nec pares hi alios, nec ſuperiores illi ferunt, atrocibus bellis colliduntur; mari jam exuente colorem, & ſeſe propemodum

cauſæ belli neſciente rerum Natura. Fruſtra qværes cauſas: condit ſe, qvod in bellis fere ſolet ambitio, & pallium obducit impietati. Ferociunt ſcriptis ingenia, non minus qvam arma telis, & invidiam belli pars altera in

Et earum diſceptationes alteram ambitioſè repellit. Angli ſe ferunt magnis injuriis laceſſitos in pertinacis & intractabilis populi acerbitatem depugnare: oggerentibus Batavis: Non hodie primum orbi innotuiſſe Anglos, præferocis ingenii populum, & tam infeſtum propriæ

mo-

modeſtiæ, qvam aliorum ſecuritati. Conſtare a tot ſeculis, qvò terdat illa immenſa vaſtitas conſiliorum, qvæ ſuperiores ubiq; per orbem poteſtates invidiâ; æqvales injuriis; minores contemptu premat: qvanqvam ne æqvalem ſibi qvemqvam credere, qvæ velut Neptuni manibus excuſſo tridente, jactet in titulis pelagi principatum, & iisdem terminis orbem, & Angliæ dominatum circumſcribat: Hinc volitare per maria feroces Oceani Turbatores, novarum Cycladum Dominos, qvi Europam bello; cædibus palatia; montes caſtellis;

 fre-

freta navibus exaſperent: QVorſum enim illam navalē militiam, illas plenas terroris claſſes, niſi ad orbis terrarum non contemptum, ſaltim ſed ſervitutem circumferri? ne qvis Anglos neſciat gerere cum humano genere bellum, & mundi attrectare libertatem. Deniq; non jam ſufficere Oceanum univerſi metatorem; etiam ultra hunc, ultra elementum jam ſuum provehi marina vitia, & traduci in terras; ut qvoties dominationi, & ubicunq; locorum expedit, proruant gentes, & ſævo faſtu in peregrinis etiam imperiis Naturæ jura convellant. Ab his

premi

premi ſe, ab his circumſcribi atrocibus injuriis, ut refodi jam Albæ Duces, & in voto eſſe Hiſpania poſſit: cœterum non paſſuros, ut omnia liceant libidini: Britannicum fuiſſe pelagum, aut Britannico ſimillimum, in qvem deturbatus jam olim Dædali filius, docuerit ſeqvuturos, qvantum ſperare liceat ambitioni.

Cœterum non eſt præſentis inſtituti, ac ne privati qvidem negotii de re tantâ arbitrari, utra pars pro commerciis aut dominatu; utra jugulare Naturam, utra frui contendat. Diſceptarunt utriq; cauſam, coram ampliſſimo tribunali, orbe terrarum; miſſis circumqvaq; ad Reges Principesq; nuntiis & legationibus: qvibus anni- *Eorundem ad Reges peregrinos, legationes*

 ſa

ſa eſt pars utraq; armorum oſtendere cauſas, & belli neceſſitatem factorumq; invidiam in æmulum derivare. Venerunt itidem in Daniam, ſupra cauſæ diſqviſitionem, oratum ſocietatem. Angli nexum ſangvinis, & belli illuſtris gloriam; Batavi cauſæ commemorabant æqvitatem, & a feroci populo commune gentium periculum; oblatâ abolitione ſuſpicionum, ſi qvæ Regis animum adurerent: & fuerant verò non teſtatæ, qvidem profeſſæq; ſimultates, ſed tamen indignationis haud parum, cujus diſceptationem jam pridem R. Fridericus publicæ tranqvillitati largitus, remedium a tempore & medicinam expectabat. Qvo æqvius de armorum communione compellatus, neutrius partis ſtudium & inter utrasq; reconciliationis ſibi negotium deposcebat: palam profeſſus: Non poſſe gratis qvemqvam lædere, aut alios habere hoſtes, qvam de qvibus ſemper cum laude triumfaret; proindeq; cupere amici-

Miſſæ etiã in Danicam

Rege Friderico reconciliationis arbitriũ

micitiam ſartam tectam ſervare geminis: ſervaturum porrò, qvam diu fides coli absq; periculo poſſet: ferrum apud ſe ultimum fore remediorum. *præferens armis*

Hæc inter, appulſa Bergas Hollandica claſſis, miras concivit procellas, & propemodum fomitem ledit incendio, qvo hodie ardemus. Ea divite effarcta prædâ, tantum non circumgeſtabat Indias, & in opibus, qvod fieri amat, timorem: Exſertâ imprimis in tantam meſſem Anglorum ſpe, & qvid plura? ſubire auſa portum, & tentare fortunam. Dares veniam ardori, hoſtilem attrectanti prædam, ſi intra legitimos conſtitiſſet fines, citra irreverentiam ſummæ poteſtatis, qvæ in tuendo littoris ſui præſidio, non poterat impune contemni. Vidiſſes ab hac die miram in Legatis agendi ſollicitandiq; mutationem: Durabat in Hollandis ingenuitas; in Anglis vis potentiæ promicabat: altera pars Regis calculos mereri, altera propemodum ad ſe rapere *donec intercederent cauſæ* *Bergenſi inſultu* *Et legationis Anglicæ*

Vi-

impetu exaſperatæ

videbatur; ægrè animo imperatura modeſtiam, ni alieno imperaret; ſpesq́; ſuas adeo non ſubmiſſura Regi, ut ne tempori qvidem vellet. Acceſſere mox minæ, acceſſit contemptus, & aliqvid contemptu pejus. Qvæ palam, & præter has, aliæ cauſæ conjecére Daniam in Hollandorum partes: indignantibus enimvero Anglis, (& qvis vetet?) mox publico programmate teſtantibus dolorem (nec hoc illicitum:) cæterum ferocius hoc ipſum acerbiusq́;, qvam aut cauſæ admittat æqvitas, aut gentium ſinant jura, aut ſupremæ poteſtatis dignitas & magnitudo patiatur: iſtuc demum jure an injuria factum ſit, jam nobis ſupereſt diſceptandum. Juvat ſeponere minutiora, juvat ambages, & poſtulationum Anglicarum hanc omnino tradere ſummam:

Daniam Hollandorũ parti addixére

Frementibus ſcripto Anglis

ſed iniqviſſima acerbitate pleno

Cujus ſumma eſt:

Regem Fridericum

& in eo nomen omne Danicum enormiter peccaſſe:

1. Contra Merita. 2. Contra fœdera.
3. Contra promiſſum. 4. Contra fidem.

Qvæ paucis comprehenſa verbis cogita-

tu

tu etiam horrida ſunt, & qvibus tot orbis, tot ſeculorum ſpatia nil acerbius audiverunt. Qvis feret hoc rerum humanarum ludibrium? prodire chartam, Miltonii ſcriptam genio ſtyloq́;, & Caroli Regis, Regis inqvam Caroli, obſignatam manu; in ſupremæ per orbem poteſtatis irreverentiam & imminutionem, qvæ convitiorum inficetiis referta, ita ſuſceptæ cauſæ juſtitiam oſtendit, ut omnem proculcet. Nec enim ſcribunt feralis edicti auctores, ſed jugulant; & tanqvam vitent injuriam, inferunt; ut juſti cenſeantur hoſtes, jam facti injuſtiſſimi accuſatores. Plus hercle ſcribendo peccant, qvam bellando poſſunt; & ante rapta arma, armorum jam jura conſumpſerunt: Cæterum hoc ipſo in ſemet qvam nos iniqviores, flagellandos ſe objiciunt orbi, & munus noſtrum invadunt: ut proclivius ſit, qvod pronum per ſe erat, damnatam bonorum judicio cauſam, & plenam jejunitatis, ne qvid acerbius dicam, confodere ſuis telis, & palam convincere iniqvitatis. Revocabimus autem intra illos, qvos fiximus, limites, totum illud poſtula-

tionum convitiorumq́; choragium, & ut facilior ſit diſtincti operis notitia, negotiū omne qvaternis capitibus circumſcribemus.

POSTULATIO I.

Prima Anglorum poſtulatio

de beneficiis

EXaggerant multo rumore Angli ſua in Danos merita, qvæ magna per ſe, majora futura erant, ſi in confitentes incidiſſent: Cæterum qvicqvid illic præſtitum ſit, eviluiſſe apud immemorem Regem, qvi omnem ſangvinis & neceſſitudinum proximarum reverentiā aſpernetur aut violet; magno cum neglectu non tantū amicitiæ, ſed etiā pietatis. Gravis herclè expoſtulatio, ſi vera; cum infra hominē ſit, oblivisci huma-

ma-

manitatis, & feras qvoq; ipſas videamus, projectas ad nutritiorum pedes exuere ferociam, ac ut monſtrent obſeqvium, non rarò deponere Naturam. Cæterum qvo nomine cenſeri debeant Anglorum merita, qvæ nunqvam extitere in rerum Naturâ, viderint illi, qvi rerum definitionibus ſtudent: per totum enim illud ſcriptum circumferenti oculos nullum producent tibi; prudenter id qvidem: Nullum poſſunt. Hoc immo, ò boni, probandum, & ut ſcripto toti in cæteris detraheretur vanitatis ſuſpicio, claris diſertisq; verbis, monſtranda illa erant qvæ jactantur merita, qvæ nec plura fuerint, credo, qvam ut recenſeri propter copiam omnia, aut propter magnitudinem ſingula poſſent. Hic non eſt locus anxiis litibus; nil latere poteſt in tantâ luce & celebritate hiſtoriarum, in qva verſamur; nec veritas uſqvam glorioſius tuetur locum, qvam in re tam liqvidâ & conteſtatâ, ideo omnium expoſita judiciis, qvia omnium eſt oculis. Sunt in manibus priſci, ſunt ævi noſtri monumenta, per qvæ ineptire nemini licet; & qvibus proviſum jam pri-

qverum nulla profe-runt

Ac ne poſ-ſunt qvi-dem

ſeq; palam convincunt

pridem, ne qvis poſterorum credulitati illudat. Eruant ex his Angli magnifica illa merita; ut peragamur palam rei, & coram univerſo orbe convincamur impietatis. Cæterum torqvent illi jaculum & fugiunt, & poſtqvam nobis dixere diem, deſerunt vadimonium. Incunctanter enim ego aſſerere nil dubitem, omnia conſarcinantibus, nullum argumentum, nulla præſidia repertum iri, qvibus magnificam aſſertionem famæ aut Orbi obtrudant. Nam prolixa illa pollicitationum, qvæ ambitiosè jactant, & oſtentati oblatiq; amoris inania, ne audiri qvidem inter beneficia debent. Et verò ſtetere illa intra verba, nec unqvam egreſſa ſunt, qvas illevére, chartas; qvocunq; rumore & pompâ, qvocunq; magnificentiæ cultu exaggerentur.

Nec vero pollicitationes pro meritis haberi qvæ inanes Non ultra voces exiére,

Et qvorſum in his invidioſa nomina, qvæ ſummas per orbem poteſtates tantum non ad Anglorum deducant pedes? ſeu enim Carolum ſuum magnâ (ſic loqvuntur) inclinatione voluntatis, Fridericum Dani-

obrutæ invidioſis nominibus

arum

arum Regem ſuo affectu dignum judicâſſe; ſeu patrocinium Danici regni ſuſcepisſe aſſerant; ea affingunt Regi ſuo qvæ Principibus aliqvando in purpuratos; Regibus herclè in Reges non conveniunt. Digna qvæ in aliâ ſcenâ, qvam publico prodeant ſcripto, aut æternâ longiſſimi ſilentii nocte ſepeliantur.

Et parum competentibus ſummæ per orbem poteſtati

At qvanto id glorioſius, qvod additur, de Regii ſangvinis cognatione: Duos nempe Reges hinc Danum, inde Anglum, ex eâdem domo eandem majorum ſeriem, eadem inſignia, decora, & propemodum incunabula accire. Nec vero id novum aut majoribus noſtris inviſum, bina hæc regna, ex eodē efflorеſcere caudice; in eodem ſangvine coronari; qvin immo, qvod ſupra ſortem naſcendi eſt, clarum in ortu vinculum, animorum etiam & fœderum communione augere. Aſcendere libet in majorum vitas, & intueri coràm hæc vincula: Ita qvidem ut indagemus ſimul ex Annalium fide, utra natio, Dana-ne an Angla, alteram ſibi

Glorioſius jactato nexu ſangvinis inter Reges

Tot ſeculorum conſtantia nobilitato

qvod ex ſerie hiſtoriarum patet.

majoribus meritis devinxerit, utra fœdius læſerit pietatem: facto regreſſu in primordia gentis, & antiqviſſimi temporis contemplationem.

A Danis enim ſunt Angli

Anglia Danorum colonia primum; mox provincia; ad ultimum ſangvis, non potuit ulli per orbem genti propiore nexu illigari. Qvicqvid enim populorum continet, illa in medio Oceano tot hodie terrarum moderatrix inſula; ſeu Waros tu, ſeu Wittos intelligas, & qvâcunq; demum veteri nomenclaturâ cenſeantur, Danorum ſunt traduces: ut ſi priſci orbis ſpectes habitum, ne Saxones qvidem, qvorum ortum tot ſibi vindicant gentes, aliunde poſſint, qvam ex Daniæ extremis littoribus ſua primordia derivare. Pars ſcilicet Cherſoneſi noſtræ Angla eſt (Anglen vocant incolæ) unde in Britanniam tot emigrarunt populi: id eſt, in novam Angliam ſeceſſit vetus, ſi non tota, ſaltim expeditior; remanſitq; apud nos nomen non integræ provinciæ, qvod totum alibi regnum componit. Illuſtri matris be-

Wari Vitti

Saxones

Angla Holſatica qvæ;

Inde migrationes in Britanniam extitére.

ne-

neficio, qvæ ſe totam exprompſit in filiam, & ne pignus hæreditatis deeſſet, dedit in nomine perpetuitatem. Hæc prima eſt, & ſuo principio propior neceſſitudo, manſitq; ſangvinis cognati reverentia, manſit par amor inter geminas gentes, qvas pares naſcendo Natura & incunabula effecerant. Mox acceſſit communio ſummæ poteſtatis, in gemino regno ſub uno Principe ſociatæ, qvo nullum eſt ad amicitiam civium efficacius vinculum. Locatam ſcilicet in peregrino ſolo Dani nominis coloniam, & magnis incrementis effloreſcentem, ſecuta ſunt Principum noſtrorum auſpicia: qvo cives pedem, eodem illi ſigna, & mox imperium intulerunt. Nil auſpicatius hoc novo nexu, nec diu qvicqvã conjunctius: cum non ſub peregrinum jugum iiſſe Angli, ſed penitus ad ortum & incunabula rediiſſe viderentur: gens genti cognationis nexu inſerta, geminum regnum velut in una domo propagabant. Et favit animorum ſocietati Canutus imprimis ille, cui Magni nomen dedere virtutes: qvi aliqvid regno majus, ſeipſum dedit Angliæ, & in inſula locavit, ſi

Mox arma Regum Daniæ

Tandem imperia

Miro conſenſu partium

Et Regum ingeniis coalita

Canuti imprimis

non

non ſedem, ſaltim moram imperii: haud ægrè ferente Daniâ, ex ſe natum Regem, extra ſe regnare, & per tot Oceani ſpatia propagare dominationem. Latiſſima hic ſe offerunt ſpatia, ſi prodere ſcriptis libeat (& prodidere nuper Angli) tot monumenta per Angliam patentibus campis extantia, qvæ gentis ſeu alterutrius trophæa & gloriam, ſeu utriusq; neceſſitudinem hodieq; ad poſteros conſignent. Seqvuti poſt Canutum non tam alii Reges, qvam alii mores, a Principatus Danici reverentiâ averterunt Anglorum animos; donec erumpens in ſeditionem rabies tot ſeculorum nexum diſſolvit. Fœdo tamen exemplo, & extra jura armorum ſæviente; qvod mediis in fluctibus poſt tot ſeculorum ſpatia nondum undæ & Oceanus eluerunt. Ut ſcilicet Danos jugularent Angli, jugularunt fidem, & ut peſſundarent jugum, peſſundedére pietatem. Qvis furori aditum dedit in promiſcuas hominum cædes, & hoſpitii ſanctitatem; ut jactarentur diu inter proverbia Angli, mitius habere hoſtes qvam hoſpites, & ſupra Siciliam omnem audere ſcelus, qvod

qvi monumenta ſui amoris reliqvit per Angliam

A cujus moribus deſcivére ſucceſſores

Et ab his Angli

Immani tamen facto

Et Siculâ impietate

in

in Mithridate olim ipſa etiam barbaries damnavit. Hoc tamen flagitio nobis erepta eſt Anglia, & velut abſciſſo capite tumultuata aliqvandiu in membris; donec ex Normannis novum acciret non tam Regem, qvam Conqvæſtorem. Is Wilhelmus fuit, ſtirpis Danicæ ſtolo, Regumq́; noſtrorum tradux & propago, qvi circa hæc tempora, inter tot imperia per orbem ingenti Spiritu Danæ indolis erecta, ſuum etiam in Galliá collocarat. Qvod traductum in Angliam, turbidâ ut voles, perpetuâ tamen ſerie, ad noſtra propemodum pertinuit tempora, Danorum fœderibus, & ad ultimum matrimoniis firmatum: conciliante jam Venere, qvicqvid Mars diruperat, & ſupra armorum odia protollente amorem. Longum ſit Philippas, & ſi in antiqviſſima placet regredi, Thyras commemorare, accerſitas nobis ex Anglia Reginas: ſeminarium eruendum eſt hodiernæ ſtirpis, cæptum in Chriſtiano illo qvi Oldeburgicam domum felici auſpicio in Daniæ thronum evectam, propagavit in Scotiam; modicum tum nomen, ſi cum ſeptentrione uni-

qvam Normanni Danorum traduces

poſito per Angliam regno

correxere fœderibus Et matrimoniis

Annitente imprimis

 ver-

Chriſtiano I. verſo & trium regnorum faſtigio contendas, ut Chriſtianum credas Regem iniiſſe rationem cum Naturâ rerum, & introſpexiſſe in conſilia ſupremæ ſagacitatis: præoccupavit certè fata, & devinxit ſibi domum, qvam regnatricem olim Britanniæ Deus in occulto deſtinarat. Cæterum ut dederit Scotis filiam, & ex hac *licet Orcadibus inſulis defraudato.* prolem, nolles dediſſet dotem, aut ſaltim non dediſſet pignori. Orcades loqvor, & perpetuas illas in mari Deucalionæo inſulas, arrham & teſſeram modicæ olim pecuniæ, & thalami regalis pignus, haud ſane pretium, qvas traditas in hypothecam ſibi, annorum jam præſcriptione Angli uſurpant. Jure an injuriâ ne qværas: tabulis nuptialibus palàm decidentibus cauſam; ad qvas magnis poſtulationibus provocarunt qvidem Majores noſtri, ſed inutili contentione, poſtqvam tot terrarum ad ſe diſtracto ſpatio, & qvæ ſumma calamitas eſt, ſitu primum mox præſidiis opportuno, non accrevere ſaltim Scoti, ſed ferociant noſtris ſpoliis, novi raptores, ſi non Virginum, at ſane *Mox Chriſtiano 4.* pretii virginitatis. Prætervecti ſunt hunc

ſco-

ſcopulum, hinc ex Danis Chriſtianus, id nominis qvartus, inde Jacobus Britanniæ tum univerſæ Dominus, magni uterq; Reges, qvos fata ſua noſtris magis uſibus & oculis, qvam venerationi ſubduxere; qvi ſepoſitâ qvidem non decisâ Orcadum lite, mutuo ſe invicem, non hoſpitio tantum, non tantum regno, ſed ſinu & pectore exceperunt. Hi, qvod rarum eſt, novo conſortio ſummam in terris poteſtatem & ſummam familiaritatem conjunxerunt, & privatorum gaudia evexerunt in thronum. Vidiſſes novam in purpurâ non pompæ & magnificentiæ, ſed amoris concertationem; alterius dignitas neutri officiebat, communis utriq; animus, commune regnum, & mixtus propemodum thronus. Felix ſeculum, an feliciores ſeculo Reges, qvorum concordiam populorum ſtudia ſeqvebantur. Nec ſatis credidere amicitiā, ni ſtabilirent: Et ſtabiliverunt nexu connubiorum, qvo nulla ſunt neceſſitudinis arctiora vincula, ut poſt tot ſeculorum fœdera, de Marte jam amor, & qvod ſvavius, invidiâ triumfaret. Et ad hunc, jam addi nihil

Illuſtri amore

in Jacobū

Et Bohemiæ Regē.

præter perpetuitatem poterat, qvam addidere utriq; dum viverent, & Chriſtianus continuavit in alterius jam defuncti genero, cum fugiens ille exulansq́;, & qvod ad miſeriæ cumulum accedebat, copiis omnibus & præſidiis exutus, è Bohemiâ non tantum ſuâ, ſed Romani imperii, ac ſi Cæſari crederes, Naturæ ipſius, & rerum finibus expunctus, nullâ jam ope, ac ne ſoceri qvidem, tueri poſſet integritatem. Non opus eſt, ut hac de re ſollicitemus annales; ſciunt enim qvi interfuere rebus, nec peregrini ſunt in temporum noſtrorum hiſtoriis, ablegatas in Germaniam Danorum copias, vires, commeatus & (qvo nil efficacius dare amicitia mortalium poteſt) ipſum Regem; qvi excepit capite ſuo, qvam a Bohemo amoliebatur, atrociſſimi belli tempeſtatem, magno cum vitæ propriæ, magno cum regni ſui diſcrimine, & tantum non internecione. Hæc tum vocabantur beneficia, & erant enimverò, tanto clariora, qvanto eorum major in re difficillimâ uſus: aggerata mox in Carolo, Britanniæ omnis poſt Jacobum patrem moderatore, cum tremendo ille

exem-

exemplo, & ad ſeculi noſtri convitium ac horrorem efficaci, præter populum ſuum, nullum in orbe hoſtem reperiret. Inſurrexit in dedecus ſeculi Rex Daniæ, gemino ſic nomine Chriſtianus: juvit Carolum opibus, haud ſane modicis, juvit qvà licuit armis, & in proprii regni procellis, qvo aſtrui ad amicitiam nil clarius potuit, curam ſuſcepit alieni, ne tum qvidem oblitus benignitatis, qvum nullam præſtare etiam ſine dedecore potuiſſet. Cœterum, qvanta tot meritorum coronis, adjutus Carolus? qvi res hodie per Britanniam tanta cum Dani nominis averſione adminiſtrat, cujus fortunæ domeſticis poſt patrem calamitatibus aliqvandiu contaminatæ, qvantum in ſe fuit, conſuluit Rex Fridericus: Contulit certè ad juvandam innocentiam ſtudium & ſollicitudinem, & aliqvando etiam ad fortunæ ſolatium præſidia, nondum in ærario Regio ſubductâ expenſorum ratione, qvod non repoſcantur. Sed qvanto ſupra merita omnia animus fuit: conſtat enim Regis Friderici in Carolum ſtudia, qvam qvemcunq; alium per orbem Principem fuiſſe

Coronante tot merita Friderico III.

in Carolū II.

paratiora, & futura porrò, ſi bella & injuriæ tam in noſtra, qvam aliorum forent poteſtate. Et hactenus nondum memoravimus, qvas in ſe procellas conciverit Dania ab utriusq; Caroli tam parentis, qvam filii hoſtibus, qvi partem officii ſui, & tantum non juſtitiæ, rati, omnes Carolinæ domus amicitias & neceſſitudines evaſtare, velut datâ ſceleri veniâ poſt exciſum caput, ſævierunt in membra; armorum fere oſtentatione, & ubi hæc abeſſent, furtivis conſiliis & machinationibus armati. Nil abſurdi dixeris, ſi hos ſtatuas, poſt fata Cromvelli, nulli per orbem genti ſævius incubuiſſe, qvam Daniæ, luente magnis damnis Rege Friderico conſtantiæ in Carolum, & non abrupti amoris fideiq; integritatem.

magno rerum ſuarū

ob Cromvellianorū machinationes

intertrimento.

Non ignoramus, ut beneficiis cum laude inter mortales, ita eorundem exprobratione & jactantiâ fœdiſſimè certari: coëgere tamen ſuâ oſtentatione Angli, ut tantiſper ad calculos ſederemus, & ſubductâ accepti & expenſi ratione magnifici qvibuſdam videri,

Exprobratio beneficiorum indecora eſt:

deri , qvam omnibus ingrati cupiamus. Nec enim obſcurum opinor fuerit, ex his qvæ dicta ſunt, de re omni, qvæ nobis litem concivit, clarè & diſertè pronuntiare: cum conſtet omnibus exemplis, etiam ſi in ultimam rerum originem exſurgas, & gentem cum gente contendas, Danorum in Anglos præclara fuiſſe merita; qvorum, niſi compertiſſimæ veritati occlament, negare nulla, & nulla prorſus oſtendere ex adverſo poſſint; ni velis memoriam cum beneficiis extinctam, ut fere in ſaltibus Nymphæ cum ſuis arboribus extingvuntur. Sed fac dediſſe beneficia; cur eadem nunc jugulant, & ſuam in nobis damnant benignitatem? Et poterat verò Rex Fridericus ob ſangvinis propinqvi nexum, poterat ob merita, aliam, qvam qvæ reddita eſt, ſperare gratiam; aut certè non metuere infamiam, ſi in faciendo partium delectu ſeqvi potius cogeretur, qvod neceſſitas temporis, qvod ratio regni, qvam qvod amori ſuo indulgens animus ſubijciebat. Cœterum non novum eſt Daniæ, etiam poſt merita, cum Anglicæ gentis indole luctari: excuteſis annales, &

Extorta Danis

ob Anglorum jactantiam

Veteri jam more

ea

ea ſigillatìm tempora, qvibus Septentrioni pene univerſo, ſummo cum imperio præfuit Johannes, Rex bonus, infelix pater: idem ſemper Anglorum ingenium, eosdem reperies mores; niſi qvod olim ſuum crimen in aliena virtute condemnantes culpabant in nobis, qvæ ipſi deliqverant; hodie imputent ſua, ut derogent noſtris, & meritorum ſe nexu meritorum oblivione abſolvant. Sed profectò nil dederint, dum auferant nihil; & qvam ne dare qvidem poſſunt, relinqvant bene meritis, famæ & innocentiæ integritatem.

Qvas ultrò intulére injurias

aut exprobrantium aliis

aut eludentium

PO-

POSTULATIO ANGLORUM II.

QVanto autem ſupra beneficia omnia jactantur fœdera: coaluiſſe ſcilicet inter geminam gentem, Danam Anglamq; mutuæ pactionis ſanctitatem, magna utrinq; conſenſione, magnis pollicitationibus receptam: in illâ Reges utroſq; profeſſos eſſe nomina, obſignaſſe manum, obſtrinxiſſe jusjurandum; Cæterum Danos violaſſe fœdera; reſcidiſſe pacta; ut qvi publicas ſanctiones non jam fide, qvod optimi mortalium, ſed uſu & libidine diſtingvant Nemo opinor Anglorum ignorat indolem, aliis ſemper liberius, qvam ambitioni ſuæ convitia facientium; ut a ſe tranſmoveant bellorum, qvæ gerunt, cauſas, & factorum crimen in alios declinent. Jactant certe fœdera, qvæ jugularunt ipſi, & ex non optimâ cauſa multò faciunt pejorem, non contenti palàm violaſſe ſanctiones, ni palam oſtentent. Qvæ qvidem omnia non poterunt

Fœdera jactant Angli

inter geminam gentem ſancita

dirupta eſſe a Danis

ſed ſævâ & iniqvâ poſtulatione.

fœderum ſanciendorum occaſione

ab initio repetitâ

G cer-

certius, qvam ex rerum geſtarum fide liqvere. Et hanc eruamus.

Incubuerat non ita nuper Angliæ, & *Cromwelli* tantum non orbi, inauſpicata Cromwelli & funeſta ſeculo rabies. Qvi temeratis patriæ inſtitutis, poſt proditum aut cæſum Re- *Vitæ* gem, raptumq́; Ducis & mox Protectoris nomen; poſt reſciſſas leges, calcatum generis humani ſupremum faſtigium, tergemini regni potentiam Domino detractam in ſerviles deduxit humeros, & inaudito poſt tot jam ſecula flagitio, potentiſſimi imperii diademate immane parricidium donavit. *morum* Et verò in eo locatus vertice, inter cædes & humanitatis oblivionem exuit reverentiam humani ſangvinis; ac in throno non aliter qvam macello publico degens, libertatem publicam, cujus unus aſſertor oſtendebatur, *præſidiorū* in vincula & ſervitutem compegit. Tam latè, qvis pudor? porrecto civium errore, qvam Tyranni potentiâ, qvi Regis ſui peroſi

roſi nomen, & impetum animi pro auſpiciis ſeqvuti, peſſimi ſibi conſilii auctores, novam in ſolium extulerunt potentiam, ut omnem per orbem, & ad ultimum ſuam violarent: prævalentibus armis, qvod fit in motuum civilium fragore, & eorum præcipue contentionibus, qvi regnum dare ne meliori qvidem poſſent. Ad offocandam hanc luem & vomicam orbis, diu nihil in humanis præſidii fuit, qvum Tyrannus non prorogare longius ambitionem, qvam ſtirpem laborans, regnum adornaret poſteris, velut imperaret etiam fatis, & leges præſcriberet æternitati. Nec planè excidit voto: Legit filium, & habuit ſucceſſorem. Lugendo conſilio, ſi addere potuiſſet perennitatem. Cæterum non omnia ſpes procax peregit, ampliusq; Numen qvam ſcelus potuit. Ipſi enim, ipſi, tanti faſtigii conditores, uſurpatoris ſcelerati titulum, magnâ, qvod rarum eſt conſenſione, dejecerunt. Eo uſq; evaleſcente ſacroſancto illo & æterno regiæ poteſtatis nomine, ut amorem ſui reperiret etiam apud deſertores. Qvi in ali-

potentiæ

Deſtinationum

& Exitus deſcriptio

 ena

ena innocentia ſuum damnarunt crimen, tanta animorum promptitudine, ut ſalvam Rempublicam cuperent, etiam illi, qvi ſtantem impulerant; & ſub incubatore regni aucti opibus, deſperare potuerant eaſdem, niſi ſub impio ſucceſſore tueri. Qvis neget vim humanâ majorem, tot rerum per Angliam vicibus & propemodum prodigiis adfuiſſe? qvæ edunt per ſe vocem, & divinam manum vel ſolo ſilentio

Caroli 2. reditus teſtantur. Nec hæſere diu fata, qvem Dominum rebus imponerent: ſuus iterum pannus inſertus eſt purpuræ, & regnum in veris humeris conſedit. Factus ſcilicet Rex eſt, qvi fuerat, qvi Princeps & caput familiæ, jus regnandi invexerat in cunas. Coronam trans maria exſulantem reduxit Carolus, regni totius manibus & humeris deportatus in inſulam, poſtqvam per omnia humanæ viciſſitudinis exempla jactatus, magnis ærumnis non redemerat tantum, ſed conſtantiâ meruerat proſperitatem, victor jam fortunæ adverſæ, utinam & proſperæ. Gratia tibi Munchi, & qvotqvot

Re-

Regum intacti ſangvine, ideoq; bis pii, mortalibus immortalibusq; faventibus, & ipſis, qvod glorioſiſſimum eſt hoſtibus, placaſtis humanum genus, & ſeculum noſtrum liberaſtis infamiã. Per vos Carolus, & per Carolum leges revocatæ in tribunalia, timendi cauſam bonis, & malis peccandi licentiam ademerunt. Sublata e medio odia; depreſſæ factiones, niſi clam adrepant; collati in unum nervi, Regis animum in publica commoda, & civium obſeqvia in unius principis reverentiam attollunt: felici enimverò & glorioſo certamine, ſi peccaſſe ſe cives & meminerint in perpetuum, & Rex obliviſcatur. *coronatio*

Hanc non ita nuperam feſti per Angliam & exſultantis gaudii felicitatem proſecuti ſunt plauſus orbis, neq; unqvam lubentia temerè vim ſuam in hominum animos majore prodigio exercuit. Læti intuebantur Caroli fortunam, etiam illi, qvi *Principum gratulationibus*

ſuam maluiſſent: ingensq́; orbis in parvi illius contemplationem defixus, fauſtis ominibus proſeqvebatur gentem, qvæ improbo pridem facto frementium in ſe pene populorum omnium indignationem conciverant. Principes imprimis, & ſummæ per orbem poteſtates, Carolo inſcendenti ſolium gratulatæ ſunt ſplendidis legationibus felix & perenne diadema, & reviviſcentem regni gloriam paribus cum ejus ætate incrementis invalituram. In his primus, & tempore, & animo Rex Fridericus, initia tanti honoris auſpicatiora reddidit ampliſſimâ legatione, fauſtam ſobrino precatus purpuram, qvæ nuper ſangvine non ſuo rubuerat, inq́; novam coronam lauros & adoreas oggerebat. Læto ad hæc Carolo, & ſe ſuaq́; omnia conſecrante conſangvineo Regi, nec ſatis credente ſangvinis vinculum, ni ſtabiliret. Primus ergo novæ legationis partus, fœdera fuére, & novi pactionum nexus, qvi utramq; gentem devincirent. Qvicqvid in hominibus sacrum, mutuâ aſtrictum eſt fide, & ut ſacroſanctum

imprimis Regis Friderici

celebrata

Et gemini regni

ctum poſteris foret, jurejurandi religione obfirmatum: ſumma erat: Æternam inter Reges, & commodo utriusq; populi depactam amicitiam futuram: neutrum authorem fore conſiliorum, qvæ alterutri nocerent, actione prorſus omni, qvà convelli concordia poſſet, in perpetuum eliminatâ. Una erat in cæteris imprimis præſcripta lex diſertis verbis: portus, urbes, littora, aperiuntor fœderatis, clauduntor hoſtibus: ſalvâ, puta, & illibatâ regni utrinq; integritate. In has ſponſiones conventum juratumq;, Regibus geminis ſua manu profitentibus fidem, & ſi qvis falleret, vindicem Deum. Tantis auſpiciis fundata fœdera, geminatamq; purpuræ ſocietatem, auſpicatiſſimis ominibus gemina regna proſeqvebantur, feſtâ ubiq; exſonante voce:

fœderibus

ſtabilita

Tot Oceani ſpatia penetraſſe Naturam, & miſcuiſſe Reges: repertam rationem æternæ Pacis, & qvod ſangvinis fue-

Magno partium

rat

rat vinculum, factum eſſe amoris: Cromwellum erutum ſolo, & tantum non Dis Manibus, applicitum certè infamibus ſcalis eſſe: cum illo odia pendere & ſuſpiciones: ad ortum Caroli, diſſiliiſſe nubes odiorum, faceſſere juſſas contentiones: qvicqvid amoris tot pridem ſeculis in duobus populis fuiſſet, revocatum ad originem & incunabula, pugnaturum jam in poſterum geminis auſpiciis, & qvod lætius, gemina pietate: proſpectum ſibi, proſpectum æternitati.

plauſu & gratulatione

Et

Et verò, qvid auſpicatius hoc fœdere, ſi ortum & primordia contemplemur? Speraſſes æternam pacem, & qvæ paria faceret cum regnorum ſuorum perpetuitate. Cæterum longe aliud fata, ſeu, qvod propius eſt vero, Anglorum ambitio ordiebatur: Ne neſcias, icta in undis & fluctibus fœdera, maris ſui expreſſiſſe naturam: Fluxa nimirum pactio, ut elementum, fuit; auſis mox Anglis, ea in nos ſtatuere, qvæ facere ſoli hoſtes, & a qvibus etiam abſtinere non raro ſolent. Enimverò pro amicis habiti, eoq; nocentiores; qvos per leges fœderum colere, qvorum tutari opes debebant, ereptum ibant ſuas. Prodito enim, vel abrupto, certè autem violato fœdere, oberrata littora; correptæ Danorum naves; raptatæ merces; ſubtracta navigatio; & uſus maris, qvæq; alia civium damno & clade peraguntur; ne Bergas tu, primum ſcopulum credas, in qvem pacis ſanctio, & tot fœderum pollicitationes impegerunt, Et hi non anniverſarii tantum, ſed non rarò menſtrui turbines, Oreſun-

Hæc porro fœdera

Violata ab Anglis eſſe

plurimis injuriis

Qvibusnam?

H dam

dam aliqvando, & tantum non Regiam ipſam aſperſerunt fumo; etiam ad maris Balthici flexum, in ipſa littora, in portus ipſos propagatâ injuriâ: qvocunq; ſcilicet impetus vel ſpes prædæ facile obſeqventes rapiebat. Haud facilis eſt damnorum æſtimatio: Servatur eorum Syllabus, ne tricentur. Cæterum, qvorſum arma in ſecuritate publicâ & proſcriptione armorum? Qvorſum in gremio pacis vis & oppreſſio, & qvicqvid audet ſolus, vel ſolus tuetur enſis?

Magno Danorum incommodo

Sed qvid interea Dani? jus, credo, dixere ferro, & Angliæ littora injuriis, urbes deprædationibus, & totum mare vindictis atrocibus funeſtarunt? Conniverunt immò ad damna ſua tantâ patientiâ, ut ignavos crederes, & ipſam virtutem cum reliqvâ rapinâ hoſti ceſſiſſe in prædam. Enimverò non paſſus eſt Rex Fridericus, qvemqvam ſuorum ſtringere ferrum, non uſus

Et patientiâ

uſus majore virtute in ſanciendo fœdere, qvam poſt ſancitam moderatione. Id unum pro teſſerâ & auctoramento dedit Claſſium ductoribus, & eorum Optionibus: vi abſtinerent: remedia ſperans a tempore, qvæ ab armis nollet, & optime ſe revocaturum aliorum modeſtiam, ſi ad ultimam neceſſitatem ſervaret ſuam: ita amiſſis fœderatis ſuis, amavit tamen fœdus, & qvod rarum in Regibus, poſt raptas amandi cauſas, retinuit amorem. Qvod potuit unum, cum injuriis tantis deeſſet modus; civiumq́; ſuorum planctus qviritationesq; & ultimæ propemodum neceſſitatis voces obaudiret; monuit amice R. Carolum: alia ſe omnia & meritum & expectantem, fiduciâ certe pacis ſecurum, hoſtilia experiri: non alia ab Anglis timere bella potuiſſe, qvam beneficiis ſecum certaturos, & prævidiſſe,

Tandem qveſtu per literas

diſſe, ut neq; hic vinceretur, ac proviſurum porrò, ſi liceret. Qvod ſupereſſet unum, proſpiceret communi tranqvillitati Carolus, & mederetur his malis.

Hæc denuntiata per literas, per interpretes, & eos ferè qvibus negotia publica per Angliam Rex commiſerat, nil impetrarunt. Nec verò nunqvam repetundarum actio iterata repetitaq; per legationes; nil expreſſum. Durabant injuriæ, nec ſi qveri velles, puniebantur: præmio addito factoribus, factorum impunitate, ut auctâ in immenſum licentiâ plus jam contemptu, qvam raptu peccarent.

per nuntios

ubiq; irrito.

Devenimus paulatim ad caput & apicem cauſæ, qvæ de perjurio & ruptâ ſacramenti religione, in qvæſtione & contro-

Innoxiis interea Danis

ver-

verſiâ verſatur. Ac reſpondeant mihi jam nunc Angli; reſpondeat, qvisqvis eſt acerbiſſimæ Scriptionis concinnator, Angli an Dani projecerint fidem, & calcato jure divino humanoq;, ſanctiones temerarint? Negent pactiones omnes, fœdera omnia a Danis religioſe culta, aut qvod reſtat unum, producant ex ſuis, qvi de raptis mercibus, diſtractis patrimoniis, exactore vel raptore fiſco qverantur, & qvod glorioſius, qvi qveri poſſint. Fruſtra huc traxerint, nuperam Daniæ, cum fœderatis ordinibus, Anglorum ut voles hoſtibus, contractam ſocietatem; qvæ publicis legibus, publicis ritibus, in publico conſeſſu, in libera Republicâ, more majorum, & lege gentium coalita, ultimis injuriis, ultimâ neceſſitate expreſſa extortaq;, non poteſt inter rapinas & flagitia numerari.

Et nullius criminis

aut convictis

aut poſtulatis

Qvod ſuo infra loco operoſius
& diſertius oſtendemus.

POSTULATIO III.

Anglorum ob Bergenſem cladem

HActenus nobiſcum Angli apertâ facie prodierunt in arenam. Ea enim produxere, ſeu de Beneficiis, ſeu Fœderibus, qvæ luculenta per ſe, & in clarâ luce poſita, tam neſciri neqveunt in publico, qvam celari. Faciunt nunc, qvod bellatores in fugâ, abdunt ſe, & cæca ſpargunt tela, ne deprehendantur. Ut enim Bergenſem inſultum excuſent orbi, plurima promunt, altè (nam id ſanè crederes) abdita, & intra caliginoſam noctem demerſa. Cœterum deregendus eſt fucus, qvibuſcunq; ſeſe latebris abſtrudit, accerſendaq; ab initio, & commemoranda ſeries facti, ut de re totâ clarius, & exploratius pronuntiemus.

Expoſtulatio.

Bergarum deſcriptio

In Norvegiæ ſaxetis emporium eſt; Bergas dicunt, regni Norvegici in Oceanum

num Occidentalem, & tantum non Septentrionis univerſi, oſtium. Præter indigenam gentem numerat Hanſas, & tot urbium per Europam, populorumq; ſtudia vel colonias in ſe collegit; illuſtri Regis Friderici beneficio, qvi ligat amore gentes, qvas non complectitur imperio, & ad genus humanum latius benignitatem, qvam regnum diffundit. Perpetuæ cotes ſuſpendunt urbem, & in urbis gremio arcem, qvam loci genius artisq; induſtria, hinc undis, inde præcipitiis munivit: Oceanus vetat adiri rupes, & hæ Oceanum infringi: perrumpendi ſunt fluctus, ut penetres portum, & domanda Natura, ut pervadas montes, qvi ſurgunt in ſcopulos, & magnis terram ſupra intervallis ſeſe attollunt.

In hunc portum, durante apud nos legatione Anglicâ, ſeſe immerſerat cataplus Indica, Hollandorum navigans auſpi- *Appulſus Hollandicæ claſſis*

ſpi-

ſpiciis, qvæ vaga diu per Oceanum eludebat ex Anglia prædatores, perq; devia & flexus, vias in patriam rimabatur. Et vero ferebat in gremio, qvo allicere poſſet amatores, meſſem immenſi peculii, & pretioſum illud Eoi orbis ſpolium, qvod univerſum temperat. Vilia erant, ex bombycibus ſericum, & arundinis Eoæ ſuccus, & qvicqvid raritatis ſe pretio, orbi, & libidini noſtræ commendat: ſupra argentum uniones erant, tum auri maſſæ, & ſegmenta, pene ad illius metalli vilitatem. Et tantæ qvidem opes, Bergas advectæ cum ſe Regis unius permiſiſſent poteſtati, multorum in ſe erexere cupiditatem. Imprimis autem Anglorum, qvi in minori ſegete cauſas jam pridem repererant prædandi, eoq; prolixius huic indulgebant ſpei, & avulſæ a patriis littoribus, & tantum non vacuæ caducæq; poſſeſſioni incumbebant. Unus obex Rex Fridericus erat, qvi navibus in tutum receptis, littoris hoſpitium & arenam permiſerat, & portuum aſylo procos & licentiam arcebat: ut nec extrahi

Et oneris pretia

Anglorum in has opes experrecta

Vigilantia

Et artes

hi traduces opum naves ſine ipſius arbitrio, nec raptari in portu, ſine injuriâ poſſent. Et vero anteqvam Bergas adveniret claſſis, præviderant Angli venturam; perq; Legatos, qvi negotia eorum procurabant in Daniâ, rem prædixerant, ignotam oppidò Regi, ſuamq; patefecerant de invadendâ prædâ cupiditatem. Qvò poſt eandem advectam erectis jam acrius animo, & circumſpicientibus, qvid factu opus, placuit rurſus allegare preces, & Regis animum cupiditati aut ſane aſſenſui aperire: tam æqva petentibus non deeſſe cauſas; occaſionem & hoſtem: nec defuturos animos, ſi irruptionem R. Fridericus decernat? Negante Rege, integrum id ſibi eſſe, citra juris publici neglectum ac læſionem: Inſtare contentius Angli, & cum fruſtra preces eſſent, ſemiſſem offerre prædæ, occultum rebus promovendis inſtrumentum: additi verborum ſtimuli: In portus regios, & ſi viri eſſent, etiam in manus incidiſſe

& preces

iteratæ ſæpius.

invidendam fortunam: ſuper-
eſſe, ne langvore animi occaſio
corrumperetur. Tardam fo-
re circuitionem: auderet ſal-
tim felix eſſe Dania, & invitan-
tibus ad immenſam ſpem fatis
haud negligenter parere: qvæ-
ſtuoſiorem militiam nuſqvam
gentium fore, pignus aut cer-
tum pacis, aut nervum belli;
ſuæ certe cum Daniâ aut novæ
pretium, aut veteris auctora-
mentum ſocietatis. Blanda oratio,
& dulciora verbis ſpolia, ſi in qvemcunq;
alium, qvam Regem incidiſſent: ſatis e-
loqventi digito, qvi aurea ſpolia, & tan-
tum fortunæ apparatum oſtentaret: At
perſtare Rex, & qvicqvid ex adverſo moli-
rentur, unum conſtantiæ clypeum obijcere:
in

ſed apud Rex Fride-ricum:

in eo qvod peterent, ſi geri mos non poſſet, darent veni- am: confugienti ad ſe claſſi littora dediſſe & arenæ uſum; nunc receptam prodere, non eſſe ſuæ integritatis. *irritæ.*

Sunt qvi hic miſcent neſcio qvam ſcenam Dani hominis, Legationi Anglicæ periculoſa ſuggerentis conſilia: Dum de jure, dum de permiſſu lis eſt, jam avehi tot opum, tot divitiarum congeriem potuiſſe, fortium virorum præmia, & qvæ Natura imperatrix armatæ fortitudini oſtendat: eſſe conſilia, qvæ laudari non poſ- *Qvorundã tamen* *improbis ſuggeſtionibus*

 ſint,

ſint, niſi peracta; qvæ cum ſucceſſu non poſſint, excuſatione abſolvantur: apud Fridericum imprimis Regem, qvi adjutum cuperet Anglos, ſed non ſuâ manu: Eum poſt patratum facinus argui à nemine poſſe, aut ſi arguatur, pretio deliniri: Et fac adverſum; non rarò utiliter cogi Reges, qvi perſvaderi non poſſint: paratam audaciæ à fortitudine veniam adeſſe; cum procaciſſimum etiam factum, ubi ex voto ſucceſſerit reperiat virtutis nomen, & felicitate ſuâ defendatur, Deniq; legum omnium

no-

nodos gladio ſolvi: præiviſſe exemplo audacem illum Macedoniæ Ephœbum, qvi ictu uno aut eluſit oraculum, aut domuit orbem. Procax vox, a qvocunq; ore in Regem ſuum privatis auſpiciis dictata, de qvâ in præſens nil pronuntio; cum conſtet, ſeu ſuo, ſeu alieno ſtimulo impulſos Anglos, comitatem Regis Friderici, ſuam licentiam interpretatos, & tantum ſe poſſe, qvantum cuperent, credidiſſe: Statuiſſe certè, ſi alium aditum negaret fortuna, occupare vi prædam, & adornare irruptionem. Nec mora, armatur per Angliam claſſis; egreditur; locatur Bergas contra, & portum omnem coronâ navium incingit. Inerat arci modicum præſidium, qvod ſtipendio publico ſecuritas ſibi urbis conduxerat, cui, præter univerſam regni militiam, ſummo poſt Gyldelovium imperio Claudius moderabatur, ex Alfeldiorum gente, certus vim propulſare,

incenſæ.

Donec deſtinatâ in qvemcunq; caſum

irruptione

cum claſſe appellerent Bergas.

Et cum Præfecto

melitiæ Norvagicæ ſare, ſi qvis inferret. Is viſo hoſtili apparatu, obvertit in pelagus tormenta, juſſus jam pridem à Rege, intra tuendi neceſſitatem continere vires: cœterum, ſi ratio conſtare aliter non poſſet incolumitati, à civium tectis & fortunis vim & injurias arcere. Nec moratus imperium, ſtabat in ſpecula, & qvid molirentur hoſtes, expectabat. Et jam promicuerant in pinnis murorum tormenta, prorueranté; ad arma ſtationarii; cum Angli, petitâ colloqvendi poteſtate: *irrito ſermone collocuti* juſſos ſe demonſtrant à Rege ſuo eruere hoſtem, qvi Bergenſi ſeſe littore abſtrudat, & exonerare portum inutili navium ſentinâ: Id ſibi gratiæ dari petunt a Præfecto, citra læſionem ſummæ per Daniam potentiæ, (de cujus ſuffragatione nil dubitent) ci-

tra

tra noxam præſidii, citra fraudem urbis futurum: negante Alfeldio, horum qvicqvam ſibi à Rege ſuo imperatum; & expectaturum, ſi paterentur, mandata. Diu verbis diſceptatum inter partes, acribus aliqvando, prout res ferret; aliqvando leni ſermone, & ad blanditias propiore, dum cunctationem alteri, & alteri præcipitantiam averſarentur. Ad ultimum Angli penetraturos ſe denuntiant: Præfectus, curaturum, ne impunè. Fruſtra hæc Anglis dicta: rapiente fato involant in littora, & tanqvam cum tali animo eſſe felices poſſent, in ſtationes pariter navium, & noſtra opera incumbunt Et verò hæc honoris non jam ſcena, ſed contumaciæ erat; claſſe omni per dira tonitrua graſſante, velut urbem omnem collibus detractam afflictura eſſet ſolo: qvæ verbera-

Minis primum,

mox apertâ vi

impeterent

portum

urbem

arcem.

ta

ta pluribus locis, nonnullis proſtrata, una cum arce & præſidiariis, velut impietatem ultum iret, Anglicis armis pares animos, & meliorem certe cauſam opponebat. Ab arce imprimis detonabat fragor armorum, ſpargebatq; in ſubeuntes tela, & novos Encelados, a fronte & lateribus fulminabat. Tum compertum, qvantum fidelis dextra forti ſit melior, pugnante hinc audaciâ, inde patriæ amore. Tandem audaciam vicit Fides, & Fortunam traxit in partes: claſſe omni hoſtili, poſtqvam impetum illum terribilem conſumpſerat, retro impulſâ, & eodem unde venerat, extruſâ; qvæ mox abſciſſâ ultione, &, qvæ ultima mortales deſerit, ſpe meliorum, non tutum credidit fortunæ ultrò in ſe peccandi poteſtatem facere, flexisq; in patriam velis ſeſe ſubduxit internecioni.

a qvibus repulſi

moxq; regreſſi in patriam

ob oppugnatione pariter

& littore Norvagico abſtitere.

Is fuit expeditionis fructus: Sumptus plurimi, jactura famæ & gloriæ: qvem dum accuſant Angli, nos eorum cogimur, mo-

Frementes iniqvè.

mores deteſtantium cladem, cujus cauſam longe pejorem amplexi, indignè habuere illos, qvibus armatâ ſe manu ulciſci per leges eſt integrum: Invitis tamen, qvis credat? noſtris, & deteſtantibus victoriam, contentisq; hoſti, qvum meliorem jam exitum non poſſent, meliorem certe animum in poſterum apprecari.

Vindicatum autem eſt hoc prælio jus commune gentium; aſſertaq; liventis metalli immenſa vis, qvæ qvondam eruta e montibus, tantum non inter montes abſorpta eſt; certè autem expoſita diu in medio, patuit deliberanti Fortunæ, ut opes tantæ, ſi prælii ancipitia ſpectes, ne habuerint qvidem poſſeſſorem. Illuſtri argumento, auri congeriem ubiq; terrarum, aut cum mortalium erui labore, aut cum diſcrimine poſſideri. Eam tamen Rex Fridericus deinde a ſe dimiſit illibatam; reddiditq; Batavis, qvicqvid eripuerat Anglis, & qvod

Dum haud paulo æquior Rex Fridericus

raptam iniqvo populo prædã

K glo-

glorioſius, qvicqvid non dederat ſibi. Tanto feliciore jam ſeculo noſtro ſupra omnem Græciæ antiqvitatem, qvanto hodie Reges eam fidem præſtant peregrinis gentibus, qvam Medæa olim noluit Patri, & velleris aurei immenſum peculium auferunt ſibi, auferunt Argonautis, ut reddant poſſeſſori.

redderet poſſeſſori.

Acrius jam indignantibus Anglis

Deſierant ad Bergas pugnantium arma; nondum pugna: eò nocentior, qvò tranſlata ab undis in animos hominum, ſæviit ferocius: ut ſolent acrioribus ferè ſtimulis ingenia hominum, qvam arma exaſperari. Qvo juſtiore cauſâ Rex Fridericus, eò lenius excanduit, ſeu mores ſuos & ingenium ſeqvutus, indoleret potius qvam inſultaret hoſtium cladi; ſeu armorum fortunæ, qvæ maxima fere palma eſt, adiiceret moderationem. At fremere Angli, ambitioſo conſolationis genere diras jacere, cœlo terram miſcére: deniq; pro prædâ omni

ni, Dani nominis odium & averſionem referre in patriam, qvam ſervatam diu, velut rem pretioſam, luculento poſt tempore proderent ſcriptis, & ſævo calamo per univerſum orbem diſſiparent. Ferres, ſi intra turbam ſe continuiſſet livor, plebejum vitium, in qvorumlibetcunq; hominum, ſeu mores, ſeu famam exſertum: nunc palatia ingreſſum, irrupit in conclavia; & aliqvid ipsâ irruptione Bergenſi ſævius commentum, in Regum diademate conſedit. Enimverò Angli, poſt abruptas ſpes prædæ, execrati conſilium, qvo famam fortunasq; prodegerant, cœpere itidem abominari potentiam, qvæ ipſis ſuam ademerat, & cladis invidiam convertere in auctores, impactis in Regem Fridericum, & nomen omne Danicum acerbisſimis convitiis & poſtulationibus, qvarum hæc omnino ſumma: auctoratum a Friderico Rege qvod ad Bergas ſuſceperant facinus magnâ

Et crimen omne à ſe amo[illegible]entibus.

in Fridericum Regem

Talbotici colloqvii figmento.

amicitiæ urbanitate, mox majore impietate eluſum: Eundem Regem claſſis Anglicæ allexiſſe ſpem, & dejeciſſe impetum, mutantem, repente qvæ juſſerit, qvæ vetuerit jubentem; citra omnem amicitiæ, omnem promiſſi religionem. Poſtulationem porro tam acerbam, ut aliqvo adornent fuco, commentum, neſcio qvod, hunc in modum concinnant: Gilbertum Talbot, cui negotium ſuum in Dania Rex Carolus delegaverat, cum officii cauſâ ſæpius aliàs, tum circa menſem omnino Junium (nec enim exprimitur dies) adiiſſe Regem Fridericum; in conclave admiſſum, auditum:

Et qvonam iſto

ibi

ibi paucis, qvod fit, ultrò citroq́; jactatis, occupaſſe familiariter Regem, eumq́;, tum fortuitò qvidem, qvantum conjicere liceret, cœterum acerbo admodum ſermone de Batavorum in ſe impietate conqveſtum: ab his ſuperfuſam fortunis ſuis tempeſtatem augeri faſtu, majore paulatim injuriâ, qvam ut decore poſſet diſſimulari. Legato modeſte condolenti, negantiq; copiam deeſſe Regi circumſpicere auſuro ultionem, exprompſiſſe ſeſe Regem, & animi ſecretum Legati auribus infudiſſe: ſcilicet, decreſſe ſe, qvicqvid Hollandicarum navium per Daniæ Norvagiæq; littora

 ober-

oberraret, qvicqvid inſediſſet portus, injectâ manu, ſuæ facere poteſtatis; ſi pulcherrimæ deſtinationi, qvam animus voluntatem, tam vires alicundè qvisqvam ſuppeditaret : Hic cunctatione abſciſſâ Legatum: Vires enimverò non defuturas, reſpondiſſe: qvicqvid firmæ vegetæq; pubis educeret Britannia, adfuturum, ſi Rex poſceret, obſeqvio; claſſem imò imperaret, venturam: patuiſſe tam prolixæ humanitati; totum deniq; Regem, & æſtu, (nam id additur,) & turbine animi raptum, edixiſſe palam Legato: Qvicqvid opum ſpoliorumq; ex eâ meſſe proveniret, ex æqvo geminorum

rum

rum fore Regum: iret bonis avibus Legatus, & renuntiaret per literas Principi: agendum: unam eſſe moram, qvæ inter ſpem intercederet, & tam luculentæ Fortunæ felicitatem.

Deproperatas deinde ad Gyldelovium, Norvegiæ Præſidem, ampliſſimas a Rege literas, qvibus juberetur ipſe & per hunc Præfecti Regii, in portus, urbes, littora, qvantum poſſet, ampliſſimis verbis, pellicerent Belgas, qvaqvaverſum per littora oberrantes: In has poteſtatẽ facerent Anglis, qvocunq; impetu, qvàcunq; occaſione, incubituris. Deniq; juſſos per totam Norvagiam cives: Hollandorum cauſâ omnia ſe velle oſtentarent: cœterum foverent ſeriò Anglos, ſed clam tamen, & in ſinu, ne indicium curioſitas acciperet, aut ſui in Regem obſeqvii, aut Regiæ in alterutram partem propenſionis.

Tum aliis

aliisq; cauſis

Qvò

Et ſævis expoſtula omnibus.

Qvò porrò reciderint tam magnifica promiſſa, qvò fides publica, qvò Bergenſis oppugnationis primum oſtentata, mox depacta ſecuritas, jam pridem conſtare ex fama. Supereſſe, nil Dano nomine putidius, nil inſidioſius eſſe: ut ſi Anglis fides, migraſſe credas in Daniam, Lapitharum hoſpitia decantata fabulis; migraſſe ſerpentes, qvi ad catadupa Nili pelliciant homines ut occidant.

Sorte Regum

ut poſiti in edito

pateant calumniæ

Nunc indignare, qvisqvis es, ſupremarum poteſtatum ſortem, qvæ qvò ſupra plebem omnem celſius attollunt faſtigium, hoc latius patent livori, & improbæ dicacitati innocentiam exponunt. Vides caliginem omnem in cœlis condenſari circa ſolem, & qvicqvid ſordium vaporumvè egeritur e terris, coactum in nubes, circumvolvere æternum illud ſidus, qvod nuſqvam interrupto curſu, ipſis etiam qvæ obſtrepunt nubibus partitur lucem, & dierum noctiumq; vici-

vicibus æternitatem mundo propagat. Et verò, qvid propius caligini, qvam involucra & ambages, qvibus hoc loco, ſeſe abſtrudit obtrectatio? cujus ut agnoſcas indignitatem, non opus eſt artibus. Nullo enim negotio demonſtraveris, qvod tanto Principi impingitur facinus: *Demonſtratur autem*

1. Factu inſolens eſſe.
2. Non factum omninò.
3. Nec fieri qvidem potuiſſe.

Inſolens eſſe factu, docet Ordo univerſi: eſt enim conſvetudo recepta etiam gentibus, & qvà ad Naturæ leges nulla accedit propius, ſacra habere portuum aſyla, & tutiſſimam illam pelagi, & travectionum ſecuritatem. Hanc tolle, ſuſtuleris commercia, ſuſtuleris fidem publicam, qvæ velut communione qvâdam gentes inter ſe devincit. Qvid fiet humano generi, ſi etiâm miſeris effugia eripiuntur, & poſt vim *facinus qvod impingitur* *inſolens eſſe factu*

 ho-

hoſtium, poſt procellas & undarum rabiem, nil reliqvum facimus, qvo ſeſe recipiat humana calamitas, qvo, ubi cœtera deſunt ſolatia, ſaltim miſeriam recondat. Nil ergo à tot jam ſeculis in Auguſtorum titulis fulſit ſplendidius, qvam complecti hoſpitio etiam peregrinos, & toti, qvâ qvà patet mundo, aperire humanitatem. Ne neſcias, non potuiſſe citra vim Anglos attrectare aliorum fines, & portubus regiis imperare ſervitutem; nec Fridericum Regem, jactanti ſe & omnia proruenti hoſtium libidini, littorum ſuorum prodere immunitatem.

Nec factum omnino eſſe

Nec vero illud factum: qvod alterum in qvæſtione erat. Nolo ad regis provocare vocem, qvam mihi videor per tot terrarum & pelagi ſpatia obaudire, ſtupore magis qvam ſtrepitu lingvæ in rei indignitate defixam: cui par eſt cedere omnes nũgas, & qvicqvid probri obtrectatio congerit,

rit, non tam in hominum, qvam virtutum convicia repertum. Et ut ſileret Rex, loqvuntur pro eo mores, qvibus nihil aſtruere fama, nihil detrahere livor poteſt: offucias hic non expectaveris: procul fucus & ſubleſta fides: princeps qvantus eſt, aſpici palàm totus poteſt, recti conſvetudine averſus a vitiis, etiam regiis; qvod rarum eſt habenas ſummo jure per orbem tenentibus. Jam virtus par generi, qvæ ne nævi qvidem ſuſpicione contacta, plura ſibi debet, qvam Fortunæ; & ita qvotidie Regis gerit nomen, ut qvotidie mereatur. Nemo ergo eſt, qvi ad illud ſcriptum, qvâqvâ Regem inſpexeris, cauſæ qvæſtionem ſine horrore expendat: niſi qvod, invidiæ omnia deſperanti argumentum erat vel e mediis virtutibus petendum, ut ferretur livor in jugulū æqvitatis, & non Regem jam, ſed innocentiam admorderet. *Ratio 1.*

Et ut jugulum cauſæ rectâ petamus: legatio Anglica opponenda eſt legationi; *Ratio 2.*

qvæ commentum omne palàm coarguit inpietatis. Poſt Bergenſem enim cladem, miſſus in Daniam Cliffortius (de qvo prolixior infrà nobis dicendi campus erit) fecit in nova legatione, qvod ſol in nubibus: fulſit, anteqvam fulminavit. Sane enim legationem orſus a veritatis vi qvadam & ſacro ardore, diluere cœpit offenſiones, ad qvas amicitia geminæ gentis incurrerat: Peccatum ad Bergas, nec id diffiteri, non autem laceſſiſſe priores Anglos, ſed provocatos nimbo telorum, ab arce incumbentium, iram non habuiſſe in poteſtate. Cæterum priora reprehendi magis, quam corrigi poſſe, & ſupereſſe ſpem meliorum, ſi poſitis offenſiunculis, partes utrinq; non odium magis & ſuſpicionem,

qvam

qvam utriusq; cauſas deponant. Pulcherrima oratione, & valiturâ haud dubie ad redintegrationem gratiæ, ſi finem attexuiſſet primordio, & moderationi perpetuitatem. Fuerat Cliffortius infelicis ad Bergas audaciæ non pars tantum, ſed propemodum caput, novus certe Jaſon, ſi ſocios numeres, eoq; rectius ſolidam poterat, & nullis ambagibus involutam veritatem profiteri.

Poteſt jam qvicqvam poſt hoc teſtimonium luculentius adduci ad veritatem cœcæ qvæſtionis eruendam? poteſt enimvero: ipſe Talbotus, Talbotus ipſe negat. Dic Cliffortì, dic per fidem tuam; nunqvam audiviſti Talbotum in publico conſeſſu profiteri: paratum ſe vel vitæ diſcrimine, hanc Regi Friderico culpam detrahere, ſi qvis impingat: adſunt magnorum teſtium aſſe- *Ratio 3.*

verationes, ne qvis tricetur. Et ſi neceſſe, rei auctoritatem ex ſcriptis teſtimoniis accerſere, poſſunt produci ſchedæ, poſſunt codicilli, ipſâ Talboticâ ſcripti manu, qvibus profitetur ſe, etiam poſt chimæram illam ambitioſi colloqvii, qvæ tot nobis concivit procellas, **adiiſſe impenetrabilem in re tantillâ & nunqvam pronum in ſua vota Regem, & petiiſſe gratiam patrandæ ad Bergas irruptionis:** abſurdâ ſollicitudine, ſi dudum Rex obtuliſſet. Jam qvantò ſupra hæc omnia Talboticæ ſunt literæ ad Regem Angliæ tranſmiſſæ, qvas de Bergenſi prædâ, deq; faciendæ irruptionis conſilio, aliter ſcriptas à Legato, aliter intellectas à Rege conſtat. Contenderunt certe de vocum ambiguarum, neſcio qvo, pravo vel genuino ſenſu: id eſt: concertarunt de facti iniqvitate, cujus culpam, ſeu perperàm geminis, ſeu verè intellectam, penes alteru-

terutrum ſanè delitеſcentem, fruſtra conabantur, novo mox obtentu, à ſeſe in Regem Daniæ amoliri. Ut nullus unqvam mimus, nulla per orbem ficta ſcena, luculentius ſua manu confodiatur.

Reſtat ultimum illud caput, qvod promiſimus de facti abſurditate. Nec hanc opus aliis coloribus exſcribere, qvam qvibus ſeipſam, vivis ſane & manifeſtis depingit. Etenim ſi rem preſſius ſpectes, nil abſurdius mangonio prædæ, & commodorum, qvem à Rege oblatum jactant, participatu. Nec enim licitatione opus, ut emerentur Angli, qvi ſine tam liberali congiario, & haud ſolitis ſane lautiis propitiari, credo, poterant; ſocietatem Danicam etiam indotatam incomitatamq́; magna contentione ambientes. Et qvis porrò furor? alteri largiri, ut poſſideas, qvæ poſſides; ut prædam emas, qvæ ſit in tuis manibus, in tua poteſtate: Qvum rara avi-

Nec deniq; fieri potuiſſe

Ratio 1.

ditas

ditas admittat ſocium, & extra leges ſit communis uſus, ambitiosè circumſpicere competitorem: Et qvid opus curatore peregrino? poterat Rex Daniæ non ſollicitato, ac ne expectato qvidem Anglo, oblatam caſu occaſionem convertere in ſuam utilitatem: qvantillæ enim operæ fuerat, convaſare prædam portu tuo receptam? ambitione tanto minus inverecundâ, qvò ne jus qvidem deérat, qvod invaſioni prætenderet, ſi privatas libuiſſet contentiones publico juri antevertere. Qvid ergo? fictum eſſe ut cœtera, totum illud forum nundinatorium; & circa Bergenſem prædam nunqvam defuiſſe venales Anglos, ſed emptorem Regem.

Ratio 2. Jam ſi porrò in commento illo Talbotico calculum ponas temporum, viarumq; ineas rationem, qvibus tota rei geſtæ veritas innititur, reperies in eo non pauca, qvæ non a verò tantum, ſed veri etiam ſimilitu-

tu-

tudine abſcedant. Confer, age ſis, tempora, qvibus Belgicæ naves Bergas, & Britannicæ porro eaſdem deprædaturæ ſubierint, deprehendes imparem eſſe, qvantamcunq; mortalium celeritatem ferendis nuntiis literiſq;, Bergis Hafniam, Hafniâ Londinum, Londino rurſus Haffniam; & ex hac demum urbe, novi itineris compendio, Bergas; ut durante ad urbem prædâ, tanti nexus perpetua catena contexeretur: niſi placeat, pro Portumno Neptunoq; nova comminiſci Numina, & prodigioſos in pelago aut Pegaſos aut Mercurios excogitare.

Et qvorſum tam longa & laborioſa calami circumductio? pro nobis rem omnem ipſa Bergenſis pugna diſceptat: & hoc unum deniq; præſtat in terris boni, ut aperiat veritatem. Vis ſcire, an invitati venerint, vel injuſſi Angli; roga, ſis, tormenta Bergenſia, illa cauſam omnem perora- *Ratio* 3.

 bunt.

bunt. Qvis mihi datum alicubi in urbem aditum perſvadeat, ſi obverſa in me propugnaculorum tela, non minentur ſaltim ictum, ſed infligant? Et diſceptamus adhuc de commento,] qvod utcunq; verſes, utcunq; excutias, in proprium incurrit jugulum; inanitate tam manifeſtâ, ut non perplexitas ſaltim omnis, qvæ inenodabilis jactabatur, ſed & fucus omnis manifeſto pateat oculis, aditumq; cuivis permittat, (ni cæcutire cuiqvam ambitioſè placeat) in figmenti fœdiſſimi, & nævorum omnium contemplationem.

Diluuntur corollaria Talbotici commenti

Si qvæ ſuperſunt figmenti appendices ſeu literas ſpectes ad Gyldelovium; ſeu ejusdem curſorias naves; ſeu diſſimulationum artes per Norvegiam, aut ſi qvæ alia minutiora ſunt, non merentur explodi.

De navibus curſoriis Gyldelovij

Et naves curſorias ubi viderunt Angli per maria? aut cur viſas a ſe dimiſére? ut Andabatarum inſtar vagarentur jam pugnaturi

turi? cur errare ipſi coeci, & non in ſcopulos tantum, ſed arcem impingere, qvam nos caligine abſolvere maluerunt? prudentiſſimis fere mortalium, rarò abigentibus Duces & moderatores viarum. Nec paulo confidentius citant diplomata regia, novo reperto argumento, tam de fingendis civium Norvagicorum moribus, a qvibus, ut reliqva demas, gens in univerſum omnis abhorret; qvam de invitandis in littora Belgis, ingenio ſane ſuo contrà fraudes haud parum ſagaciter munitis. Scilicet Angli, dum vanitatis qvam ignorantiæ argui minus probroſum putant, fallere commentis maluere, qvam decretorum regiorum qvicqvam videri neſcire. Sed fallebantur nimirum ab eo, qvi in conſiliis regiis, ſæpius ad portam, ut impleret nomen, qvam adyta literarum penetrabat. Eæ qvales fuerint, nulli mortalium rectius dixerint Anglicis Argonautis, qvi literarum ſeriem omnem argumentumq; ſuo ſangvine obſignarunt.

Et ad Eundem literis Regiis

Qvi in univerſum, qvemcunq; prætextum, qvemcunq; colorem indultumq; Regium obtendant ſuo facto, exire tamen culpam non poſſunt, qvin convincantur palam violaſſe jus gentium; dum nullo publico commeatu muniti, & qvod majus aliqvanto eſt, obnuntiante præfecto regio, ruere tamen obverſi; involare portum Bergenſem; ferire arcem; verberare mœnia ſuſtinuerint: id eſt: promptiores fidem qvam ſpes inſanas deſerere, regio ſtare decreto in regio portu immemores, qvam aliunde non ſperabant veniam, exegerint a ferro, & honeſtatis, qvaſi ſuperfluæ, oblivione, ſolo ſangvine jus ſuum ſancirint.

Qvi obnuntiante Regio ad Bergas præfecto

Vi armatâ

penetrare in portum voluere.

Qvod eo poterant minus, ſine publici flagitii crimine, qvo Talbotus in ſe publicè receperat; non facturos. Sollicitatus ſcilicet Rex Fridericus, de portuum ſuorum aſylo, partium utriq;, tam Anglis qvam Batavis, æqvalem dederat ſecedendi ad ſeſe,

Qvod non facturos

luculentis literis

receperat in ſe Talbotus

ſe, & capiendæ ſtationis libertatem. Sed ſeceſſu modeſte petito, ſed neceſſario, ſed innoxio; & ſine fraude littorum clam palamve, obliqvè aut ſecus, futuro. Norat intereà Rex Fridericus, publico in Angliâ edicto, Ductoribus claſſium fuiſſe injunctum, ut qvocunq; portu, cujuſcunq; principis ditione ac littoribus deliteſcentes Hollandos, ſi cœtera denegaret ſors, vi armatâ occuparent: verituſq;, ne illud in ſe fulmen alicubi decumberet, petierat ab Talboto, Regis Caroli hac de re luculentam cautionem, & a tantâ injuriâ ſecuritatem. Et dedit hanc Talbotus nomine ſui Regis, manifeſtis literis, Talboti fide, Talboti manu ſignatis. Poſſunt produci literæ, qvæ ad cauſæ adverſæ convitium aſſervantur in archivis, & ſi cætera in mimo fabulæ abeſſent omnia, rem totam, dubitationemq; expedire ſolæ poſſent: ut conſtet vel hoc argumento, nil abſurdius dici poſſe, nil ab ratione communi remotius, qvam ad ea invitaſſe Regem, qvæ ne fierent unqvam, tanta curâ, tanta ſollicitudine

Poſtqvam Rex Fridericus utriq. partium

Tam Anglis qvam Batavis

littoris aperuerat

Et portuū apud ſe

ſecuritatem.

præcavebat. Qvam diu ergò diſceptabimus de re? qvæ, ſi ulla per orbem compertæ & teſtatæ veritatis, qvicqvid oggeri ab Anglis poteſt, teſtimoniis, & cauſis; & circumſtantiis; & evidentiſſimis rerum monumentis elidit.

PO-

POSTULATIO IV.

QVartum nunc vulnus ſupereſt, Perfidia, magno æſtu & contentione Dano nomini impacta. Ponunt in ea adverſarii, arcem ſuarum poſtulationum conviciorumq;: ſed exſcindenda deniq; & illa, & qvod nobis receptum uſu in prioribus, ab incunabulis & fonte accerſenda.

Ultima Anglorum expoſtulatio

De Fide Danorum.

Bergenſis clades continuaverat in fœdere Anglos, non mutaverat ingenium. Miſſa enim ſtatim a conflictu infelice in Daniam Legatio, mediis conſiliis pacem bellumq; ferebat in ſinu, alterutrum in tempore, prout ex uſu videretur, promptura: Crederes enimverò erubuiſſe ambitionem, adeo primi congreſſus erant benevolentiæ pleni; nulla odiorum ſigna, nulla ſeverioris animi argumenta promicabant. Freqvente enim ſenatu auditus Cliffortius (is qvod

Repetitur hiſtoria ab initio

Cliffortii in Daniam adventus

ſumma negotiorum petitionum

mo-

monitum ſemel, legationem cum Talboto moderabatur) poſt ſolennia verborum officia, & ea, qvæ dicta jam nobis, miſſum ſe profeſſus eſt, reſecandarum mutuò ſuſpicionum, qvæ geminos fœderatos populos in illud fatale bellum immerſerant, ſvaſorem ſe auctoremq; fore eorum, qvæ ad pacem & animorum amicitiam pertinerent. Eam conciliari præclarè poſſe, ſi illuſtri etiamnum benignitate Rex Fridericus occupari pateretur Hollandicarum partium naves, qvocunq; portu per Danicæ ditionis littora obhærentes; qvocunq; vento, qvacunq; occaſione appulſuras. Id lucu-

culentiſſimum demum, ſi fœdus adijceret & armorum ſocietatem, ſed ratam firmamq;, & ſepoſitâ cunctatione, ſepoſitis ambagibus perpetuam in poſterum, & indiſſolubilem manſuram. Crederes hic procubuiſſe odia, ſincero affectu reflexum in nos amorem. Nec deerant etiam ex noſtris, qvi ſupra Anglos ipſos, fœdus & amicitiam Anglorum ambitioſè oſtentarent: at negare Rex Fridericus, armorum, qvæ peteretur, ſperari poſſe communionem; neutram ſe partium foviſſe hactenus, neutram irritaſſe: ſpectaturum porrò e portu tempeſtatem, & pro ſtabilienda communi pace, ſi id qvidem permitteretur, laboraturum. Et

R. Friderico

Neutrarũ partium ſtudium

profitente

N ve-

verò (qvod alibi commemoratum nobis meminimus) decretum jam ab initio depactumq; Regi erat, perturbationi intercedere temporum, & ſine tumultu regni ſui, & qvod beatius, citra invidiam, tumultuantem pacare Oceanum, & Neptuni tridentem atrociſſimo telo exarmare.

Urgentibus contentius Anglis.

At inſtare Angli: Hollandorum eſevare imbelliam, armorumq; ſuorum gloriam & magnitudinem oſtentare. Rex cultu omni propitiare legationem, copiam petentibus adeundi aulam ſemper præbere, deniq; aurem etiam gloriantibus accommodare: Nulla in univerſum acerbitas morum, nulla averſi animi, aut amicitiam aſpernantis argumenta: omnis intra urbanitatem & facetias ſermo, omne intra humanitatem colloqvium, & felix propemodum oblivio majeſtatis. Animadverſo interea, qvo tenderet ambitio, in qvam altius ille pervadebat animo; viſisq; procul, qvæ ob-

obvenire aliqvando aut timeri poſſent, noluit commiſſam ſibi regni incolumitatem aut ſalutem prodere peregrinis, aut cum fraude alienæ potentiæ ſtabilire ſuam; cœpitq; mentionem rei intempeſtivæ in præſens ſuſpendere, cum commodum foret, & rationes id ſuæ paterentur, denuo reſumendam. Negotium interea ſuum peragente legatione, qvæ in omne momentum, in omnem opportunitatem rerum exporrectâ ſollicitudine, cum conſtantiâ Regis periculum virium identidem faciebat.

Haud modicum tempus inter has conſiliorum pugnas exactum, ob cauſas alias ſuper alias enaſcentes, proſpiciente ſemper Rege, ne qvicqvam infirmandæ ſuæ auctoritati ſtatueretur. Tandem contentius urgere Legati: & magnificum in dies ac glorioſum boni publici oſtentare nomen. Perſtare Rex; & conſulturum

reſpondere, ut ſe dediſſet occaſio, & in tempore qvod ex uſu videretur, prompturum. Id qvanqvam blandè faceret nil afflictâ vultus, nil animi ſerenitate, efficere tamen non potuit, qvin ea Anglis repulſa novæ Bergæ eſſent, averſis pedetentim, & vultuoſioribus in dies, nec diſſimulatâ jam offenſione, palam oſtentantibus indignationem. Et verò ebulliit primum murmur leni fremitu, præmicabantq; ſcintillæ, qvæ vicinam flammam & ex hac incendium minarentur. Scires, jam cudi tonitrua, & e procelloſâ nube erupturam tempeſtatem. Tandem ſenſim effervefcere in tumultus etiam ſermo, & prævalente affectu qvi cæteris imperitat, non ultrà moderationem animis imperare: ad ultimum, qvod unum reliqvum fecerat furor, cum fragore & impetu jacere diras; deſpuere; ſtrictis minis, & tremendo edicti carmine ferire urbem, attonare omnia: ſumma erat:

Mox Excandeſcentibus

Tandem frementibus

mo-

moram Danorum, in ſancien- dis fœderibus, non innocentiam eſſe, ſed meditationem belli: ceſſarent æqviſſima poſtulata moleſtiſſimâ tergiverſatione ſuſpendere; id ni facerent, viam ſe ſibi ad æqvitatem munituros, odioſis fruſtrationibus alio remedio abruptis: malle præcidi ſpes ſuas, qvam ſuſpendi; æqvè indignum non admitti ſocios, qvam decerni hoſtes. Id toties precibus, toties poſtulationibus, regiis ingeſtum auribus: ſatis itum jam reditumq;; nec eſſe id ſibi emendum ab alienâ deliberatione,

Ad ultimū minitantibus

 qvod

qvod aliunde occuparent: Deniq; hæc monita ultima fore: qvicqvid poſt hunc diem intercederet moræ, ſui contemptum interpretaturos: nil curare Regem, nil fœdera; ſi ille cunctetur, ubivis terrarum reperturos. Addita poſtulatio, qvâ caveri ſibi & ſatisfieri imperabant de belli impenſis, & damno argentario, qvod ad Bergas fecerant, reſarciendo.

Ea functionis Anglicæ pars acerbiſſima fuit, parum hercle apta componendæ paci, & qvæ nemini poterat mortalium, præter unos authores placere. Et qvidni irritaret Regem? qvi circumſcribi ſe palam, & tantum non redigi in ordinem, videns; facti novitatem, haud mitius, qvam pro cauſæ

Moderante juſtam indignationẽ

ſæ

ſæ indignitate averſabatur. Temporum tamen ancipitia, & illam ſævam laborantis pelagi tempeſtatem proſpectans e longinqvo, neceſſitatem mali mitigavit robore animi, & qvâ lenitate blandientem hoſtem tulerat, eodem tulit ferocientem: Nulla in vultu aſperitas, nulla in verbis injuriarum exprobratio; par ſui regendi & hoſtis vitandi cura. Cœterum prævidebat jam animo, capeſſendam ſibi alterutram belligerantium ſocietatem eſſe, ſi cautum ſibi, ſi regni commodis vellet: qvò conſultius duxit, preſſius aliqvantò partium utrinq; audire legationes. Et Anglis qvidem petentibus e ſenatu regio delectos, dati ſunt gemini, è primâ dignitate Proceres, qvi diſcuſſis regni utriuſq; rationibus, certæ & duraturæ Pacis modum & rationem inirent. Convenere illi, & qvid plura? tranſegere cum Anglis de, neſcio qvibus, capitibus: qvæ Legatorum obſignata placitis, non ultrà patuere, intercedentibus cauſis, qvæ auctoritatem regiæ manus, & vim

Rege Friderico

& vim illam ultimam ſanctionum publicarum diſtinerent. Auditi itidem Batavi, haud inania ſane oſtentantes, productaq; in communem cauſam Ludovici, Chriſtianiſſimi Regis auſpicia, qvæ eò ſolidiora, viſa, qvò digreſſus in Sveciam Cliffortius diruperat omne negotium, & jactatas nuper minas, præfracto jam ſilentio & manifeſto contemptu adaugebat. Atq; eæ verò identidem recurrebant animo Friderici Regis, & horrendam ſui memoriam ingerebant: Qvid ergo? emendicandam ſupereſſe pacem, qvæ nuper emenda erat, tam ſævâ temporum diritate, ut, qvod peſſimis conceditur, rapiatur Regi, pacis & belli arbitrium, ultimum ſolatium perire non cupientibus. Nec enim opus denuntiatione belli, poſtqvam

Sed tamen

circumſpiciente remedia.

ſæ-

ſævæ nuper minitationes cecinerint claſſicum, qvocunq; poſtea fuco & fœderum invitationibus ſeſe recondant: licere ſine ſcientiâ Etruſcorum divinare qvò ſe daturum propediem immane fulmen ſit, qvod irâ & ambitione jactatum primò, & ad ultimum faſtu & inſolentiâ aggeratum, poſt concordiam ſublatam, etiam concordiæ media elidat: paſſurum has diutius indignitates? non paſſurum. Cœpitq; ab hoc prorſus die, rationes putare ſecum, qvibus tantam a cervicibus injuriam, & graviora jam pacis qvam belli mala amoliretur. Armis, qvis credat? opus erat ad excutiendam Pacem, & hæ rurſum præſidiis indi-

O ge-

gebant. Jungendi ſocii, & cum his vires; inſuper habitis Anglorum minis, cum qvibus ſolis conſtet, nec ſtare omne genus humanum, nec cum ſolis interiturum. Certus poſt hæc, majeſtati & regno proſpicere fœderibus, & peregrinæ acceſſione potentiæ res ſuas communire, dubitare diu non potuit, qvo ſpes & amicitiam transferret. Fœderatorum Ordinum ſocietatem ipſa ſuggerebat occaſio, & aliqvid pretioſius ſocietate, ſi non pigeret oblatorum. Placuit tentare animos, & per interpretes, qvod bené verteret, arbitrari cauſam. Nec enim poſſe ad utriusq; rem qvicqvam reperiri ſalubrius, qvam communibus armis commune periculum propulſare. Hollandi enimvero libenter: oſtentatâ fide; armis; & qvid nobilius? nervo; magno animo eunt fortunæ ſuæ obviam, & triſtium lætorumq; vices profeſſi, nomina dant ſua in omnem diſcriminis & gloriæ ſocietatem Nec prorogata de pace ſtabilienda actio: itum in fœdera, data & accepta fides,

Et mittente in Hollandiam legationem.

Et cum fœderatis Ordinibus

ſides, deproperatæ pactiones, amota nube, ſi qva olim animorum divulſerat integritatem. Placet omen, cum liberâ gente, liberum pepigimus fœdus, qvod ringente invidiâ ſtat inconcuſſum, eamq; qvam ſperare humana poſſunt, ſibi pollicetur æternitatem. *firmante ſocietatem*

At hoc ipſum eſt, qvod carpunt Angli. Videamus porrò qvam juſtè. Poſtulationes autem ſuas irritas & inanes cum rationibus non poſſint, firmant numero. Et primum qvidem telum ſumunt a regiis moribus, velut benignitate etiam peccare Principes per orbem poſſint. Sane gloriam magnæ comitatis magno ambitu proſcindunt, & inde ferociæ ſumunt alimentum, unde medicinam Rex benigniſſimus ſperabat. Cœterum magnum erat in affabilitate Regis momentum, velut ſolo remedio temperandæ hoſtium aſperitati, qvi validiſſimâ claſſe volitantes per Oceanum, *Fruſtra ſugillantibus Anglis* *Regis comitatem*

 latè

latè cum potentiâ circumferebant terrorem. His tutum non erat oſtendere, qvibus incurſionibus impares haberes vires, & hoſtilem in te vim gratuitò accire. Norat Rex, portus qvoſdam ſuos præſidiis modicè inſeſſos, haud pares futuros tanto apparatui, ſi in littora alicubi deſæviret; & verò nec rem carere periculo conſtabat, poſtqvam cœperant palam Angli, non hoſtibus magis qvam amicis reformidari. Erant in ore, erant in oculis nuperæ injuriæ, ut Regi Friderico optimus Conſiliarius hoſtis eſſet, edocto magiſtris cladibus, qvid timere poſſet, & ea qvæ contigerant hactenus, habenti in futurorum cautionem. Nec verò ignorabat, injurias ferè, ubi ſemel ceperint, præcipitare impetum; qvæ ut aliqvando ſubmittant, nunqvam deponant ferociam, & cum minimum expectaveris, redeant ad Naturam. Hæ connivendi cauſæ Regi erant, hæ anxium, ut voles, animum, læti vultus imagine obducendi. Qvod adeò fruſtra carpunt hoſtes, ut nos illi robori & firmitati animorum gratulemur,

mur, qvæ, qvod in rerum negotiis apprimè utile, ex ipſo ſerpente antidotum parabat.

Sed leviora hæc: qvanto id porro gravius obijcitur: Fridericum Regem, repentino non ſaltim impetu, ſed clandeſtinis etiam artibus, amandaſſe in Hollandiam legationem; & inſuper habitâ negotiatione Anglicâ, tantum non deciſa Hafniæ; inſuper habitis Hannibalis Seſtedii conteſtationibus; inſuper habitâ (qvod atrociſſimum ſit) fide, cum Anglorum inimiciſſimâ gente contraxiſſe armorum communionem.

Separandæ ſunt hæ cavillæ, ut qvod in campo contigit Curiaciis fratribus, non hoſtili magis vi, qvam ſuâ imbecillitate procumbant.

Et Hollandici fœderis initam ſocietatem

Et Hollandici qvidem fœderis contra ſeſe initam ſocietatem qvò juſtius meruerunt Angli, hoc violentius accuſant. Hic ſcilicet aliqvid ſupra Bergas fuit, qvod ureret indignantes. Cœterum licuit, opinor, Regi circumſpicere amicos, circumdare robur ſibi, & præſidiis ſepire regnum; poſtqvam Angli, pravo & exitiabili more, extra Britanniam ſuam dictarent jura, & novum propemodum in Daniæ regno erigerent principatum; qvo licitum ſibi credidére, ſævis minitationibus peregrinum diſtringere populum, & aliqvid invenire infra bellum, qvo detruderent libertatem. Cogitandum id unum ſupererat Regi, excipere an occupare hoſtem, inferre an propulſáre periculum aptius exiſtimaret. Militia herclè vel ſervitus capeſſenda erat, & ſub jugum vel ſigna eundum. Qvid ergo? poſt ereptum illud in principatu beatiſſimum qvod non cogitur; poſt patientiam omnem & lenitatem in ludibrium verſam, ſtatuit Rex Fridericus, qvod unum reliqvum fecerat neceſſitas, ſpretum jus Maje-

ſta-

ſtatis vindicare armis, & inire in tanto præcipitio rerum, vel remedii modum vel certe faſtidii finem; disjectoq; peregrino jugo, aut inſultandi libidinem demere hoſti, aut nocendi auferre opportunitatem.

Cœterum, in ſanctionibus tam juſtis nec ſugillari celeritas poteſt, nec prudentia debet. Non celeritas qvidem, cum conſilii pars magna eſſet, non cunctari. Poſtqvam enim nec ſævæ poſtulationes armis, nec ſæviores minæ, paci concederent morã, jam non deliberato herclè, aut anxiis conſiliis, ſed facto opus erat Regi, ut juſtâ proruerer vi, qvicqvid injuſtâ hoſtis moliebatur. Niſi expectandum tu putes, donec atroces minæ ultra voces exirent, & ater ille verborum nimbus, fulmine etiam ac procellis deſæviret. Occupanda imo tot innumera caſuum, occupandæ fatales diræ, qvæ libertatis incumbebant jugulo, exſcindendum malum non dubiâ aut ſuſpen-

Tum celeritatem in expediendis

ſpenſâ manu, publicâ jam cauſâ excludente moram, & tantum non rapiente deliberationem Regis, ne lenitudine in lentitudinem migrante, ſi naſcentibus malis obviam ire negligeret, gliſcentibus deſperaret, inveteratis non poſſet.

Et prudentiam in reticendis conſiliis

Nec æqvius carpitur Prudentia, qvam furtivi conſilii nomine hoſtes infamant. Res acta eſt, non clandeſtinis ſane artibus, qvum Legationem palàm Anglicam de mittendo in Hollandiam oratore Rex ipſe Fridericus fecerit certiorem. Ultrò viciſſim Regi deferentem arbitrium paciſcendi cum Batavis, ſi ſpes commodæ & opportunæ tranſactionis affulgeret: publicis ſchedis, qvæ hodieq; aſſervantur, proditâ & confirmatâ ſuffragatione. Conſtitutum tum Regi, ut ab initio ſemper fuerat, ſervare Anglis amicitiam, & in neutram partium qvicqvam acerbi ſtatuere, donec ad alia conſilia adigerent hinc minæ Anglorum, inde contemptus,

ptus, non minores bello, ſed minus glorioſæ calamitates. Ab eo autem tempore, non neceſſarium erat detegere Anglis, qvid ad averruncandam eorum injuriam decernere Rex moliebatur. Qvis enim per tubas orbi denuntiat ſua negotia; Qvis de conſiliis mittit ſciſcitatum exteros, & regendi artes a poteſtatibus peregrinis mutuatur? Ferres tu verſantem in ampliſſimâ poteſtate Regem, ſi pacis belliq; momenta aliunde acciret, proditâ domi libertate, nobiliſſimâ parte regni, & qvæ ſola mancupio non datur? ſaluberrimis fere conſiliis & lux pompa obſunt, rectius ignotis publicè, ut publicæ proſint utilitati. Credidit ergo Rex Fridericus, optime conſtare rebus ſuis rationem, ſi non redderetur Anglis; indignantibus, & qvid iniqvius? magnarum qvicqvam rerum ſine ſuis auſpiciis, etiam extra Daniam geri, qvi intra ejuſdem gremium, repentinâ majeſtate imperabant leges, & belli paciſq; arbitria, ac tantum non ordinem fati dictabant.

Nec verò qvicqvam Anglis præſidii
Neqvicqvam oggeſtâ eſt, in iis pactionibus, qvas Hafniæ depactas tanto cum ſtrepitu contendunt. In qvibus nil erat, qvod peſſundàret qvemcunq; amicorum Danicorum nexum, qvamcunq; veterum fœderatorum ſocietatem. Et
pactione Hafnienſi. hæ ſanctiones protractæ qvidem a Danis (& erant cauſæ cur protraherentur) ſed diruptæ ſunt ab Anglis; Cliffortio diſcedente in Sveciam, relictis, qvorum cauſâ venerat, negotiis, datâ fide, intra ſemiſſem menſtrui ſpatii rediturum. Abiit verò Gotteburgo; inſalutatâ Daniâ, & diſceſſit in patriam, nullo per literas, dum hæreret in Sveciâ; nullo cum iis communicato conſilio, qvi res Daniæ in aulâ Svecorum procurant: ſecus, qvam diſcedens Hafniâ, diſertis in ſe pollicitationibus & magnifica verborum fide receperat.

Sed de Hannibale qvid reſpondeas?
Auctoritate Hannibalis. qvem ſua jam peracta ſors, rerum mortalium

um luſui, certè autem bonis aut iniqvis fortunæ, præcocis fati imperius exemit. Eqvidem, qvæ de ipſo commemorantur, abſtruſa ſunt, nec ſciri potuere, etiam cum ſciri poſſent. Qvorum jam notitiam e ſandapilà Pariſienſi, & mortualibus Urnis fruſtra indagamus. Carpunt mortuum Angli, qvem vivum tenerrimè colebant, ſociũ & pene collegam Legationis: conſiliorum certe omnium arbitrum & moderatorem, qvo nomine in ſcripto illo, qvod Apologetes, neſcio qvis, in Batavis edidit, haud perfunctoriè vapulat. Commeabat, nec diffitemur, ad Legationem Anglicam juſſu Regis, obibatq; id munere publico negotii; cœterum ſi promiſſa propriis auſpiciis, ad qvæ ipſi niſi per contemptum Regis via non erat; ſi conſilia injuſſus miſcuerit cum Talboto, & alter alterum, uterq; Regem ſuum eluſerit; jam ſupereſt dicendum, eum in Anglica legatione reperiſſe ſuam Capuam, & ſorte qvam priſcus ille Pœnus miſeriore, non luſcum jam, ſed cœcum fuiſſe, qvi dum geminis ſervire populis ſtu-

duerit, ab altero dictati conſilii invidiâ, ab altero eluſi laboret. Sed fac dediſſe promiſſa, fac ambitioſiſſimas pollicitationes; eæ nihil ad Regem: niſi Siciliam nobis aliqvam, aut Damoclis ſcenam fingas: id eſt: inverſas Naturæ leges, & Romanorum Saturnalia inducas, in qvibus, miniſtrantibus Dominis, omnium arbitri ſervi, omnium potentes, ſoli ad ſigma & menſam ſedebant.

Neqvicqvam perfidiâ.

De perfidia, qvod porrò addunt Angli, id verò perhorridum & iniqvum eſt: Amoliri injurias, & a cervicibus publicis depellere ſervitutem, non perfidia eſt in ſocios, ſed fides & amor in cives; qvum nihil jam ſupereſt reliqvum tibi, qvo vitam privatim tuam, & communiter omnium tuearis.

Nimis minutæ diligentiæ foret, & de

Le-

Lectoris judicio diffidentis, velle exaggeratius percurſare cauſas & momenta hujus inter Danos Angloſq; controverſiæ, qvæ teſtatiſſima per ſe ſunt, & haud dubiæ veritatis. Qvo certius hoc mihi loco audeam ab æqvitate bonorum polliceri veniam, ſi citrà ſeriem præſentis ſcriptionis, cauſamq; Regis mei, qvâ nulla per orbem juſtior, nulla liqvidior eſt: citrà publicæ deniq; fidei & pietatis præjudicium, demonſtrare in univerſum coner; licitum eſſe Regibus, etiamſi injuriæ abſint, exuere fœdera, & a gente in gentem, ſi id regni poſtulat ratio, transferre ſocietatem. Id ut credas, pone ante oculos Regem, aut naſcendi privilegio, aut religione ſacramenti devinctum principatui, & habentem pro fundamento regnandi, populi ſui ſalutem & incolumitatem: adeò devinctam ſibi, ut ab eâ, niſi læſâ conſcientiâ & famâ, non poſſit prævaricari. Eqvidem non lædo ſacroſanctum illud ſummæ poteſtatis nomen, dico tamen haud parum confidenter: Nullum eſſe per orbem, liberum Regem, tantâ

Cum liceat Regibus

Etiamſi injuriæ abſint

Qvam cum fœderatis contraxere

qvidem potentiâ, ut regni ſui ſalutem aut convellere abruptè poſſit, aut debeat incolumitatem. Qvæ neceſſitas adeò innexa eſt ſolio, ut ſi fas ſit dicere, etiam ſupra ipſum qvodammodo ſe protendat. Pone proximas ſangvinis Regii neceſſitudines;& ſi qvid arctius Natura oſtendit: pone ex adverſo regni diſcrimen aut interitum: prodibit Rex in acie contra filium, prodibit contra Patrem, ſi aliter tueri non poſſit populi ſui integritatem. Uſq; adeò non licet ſummis poteſtatibus, ne amare qvidem qvod amant, cum Naturæ legibus potentior thronus intercedit. Cœterum hæc rerum publicarum ſalus, ut uni ſibi devincit principem, ita eundem ab omni alio nexu ſolvit, datq; figendi & refigendi, ſanciendi & reſcindendi, prout regno conduxerit, non arbitrium modo liberrimum, ſed aliqvando neceſſitatem. Qvoties venit uſu, in tot concuſſionibus Elementorum, rerumq; humanarum ſurſum deorſum euntium perpetuâ vertigine, ut aliqvid ex adverſo incurrat, aliqvis turbet

dirumpere ſocietatem

ca-

caſus; certè autem aliqvis fortunæ impetus concutiat rempublicam, & extra orbem ſuūm deponat: Hic tu Regem, opinor, optabis, qvi velut in publico juſtitio, procul curâ, procul immò conſiliis, inglorio torpore marceat; & ſui ſuorumq; oblitus, inter formidanda præcipitia ad arbitrium Fortunæ circumagatur? Immo vero hic opus demum Rege eſt, qvi, prout rerum temporumq; incurrunt vices, prudentiam a præſenti neceſſitate capiat; circumagat conſilia; virtutem opponat caſui; occupet fortunam: Eo herclè ſollicitius, qvo acrius illa ſummo fere culmini, & diadematis illis capitibus inſidiatur. Et verò locamus in throno Regem, circumfundimur ad pedes, ut altior ille non humeris tantum, ſed toto vertice, longius proſpectet, in futuros caſus, in fatorum conſilia promittat aciem, & incubiturum unde unde periculum indaget. Hanc nobis & publico debet curam, qvi animam viciſſim, qvi ſangvinem debemus, qvocunq; tempore, ubicunq; juſſerit, effuſuri. Et velles in his curis ligare conſilia

ſi regni id poſtulat uſus

Et neceſſitas.

Prin-

Principis & vetare neſcio qvorum pacto-
rum, hodie aut nudius tertius ſancitorum, religione, ne proſpiciat civibus, ne ponat extra pericula Rempublicam; ne jura aſſerat Majeſtatis; ne deniq;, ſi qvis gravior ingruat caſus, tuendo capiti, manum aut brachium opponat? Solius Dei eſt, rata ſemper habere, qvæ decrevit ſemel, & cum conſiliis miſcere æternitatem. Recte id qvidem, qvia in Deum non incurrunt caſus, qvi ſus deq; verſant in ſublunaribus mortalia, & a prudentibus conſiliorum expectant rationes, non ratas depactaſq;, ſed qvæ ſaluti publicæ ſecuritatem circumponant. Maxentii apud Poëtas pœna eſt, hærere corporibus, etiam cum fœteant; & Promotheum antiqvi ad Caucaſi obvinciebant rupes, & ne arbitria tum qvidem, ſed tantum corpora religabant. Qvis furor? ſummas poteſtates, qvæ in omnes habent & ſupra omnes imperium, tam fœdæ damnare ſervituti, & in pactis Regum, matrimoniorum ſancire perpetuitatem? At dices: ſancita tamen fœdera eſſe, illæſa, & ſine fraude in omne æ-

Juxta leges Naturæ

vum

vum manſura ? Nemo id neſcit ; cœterum novimus aulæ nomina, & ſanctionum publicarum neceſſitatem : Ego nondum ſemihoram attigi anni Platonici, & ſupervixi maximorum fœderum æternitati. Nec qviſqvam ſexenni major, non pauciores numerat digitos, qvam diruptas regnorum ſocietates. Nulla ſcilicet oritur nox, qvæ non trudat diem: nullum bellum, qvin fœdus alicubi convellat, & filia jugulet matrem. Poſſent hic acciri exempla omnium gentium, ipſorum etiam Anglorum, ſi qvam facile, tam neceſſarium foret. Qvum maneat inconcuſſum; Sapientem mutare conſilium poſſe, & non mutari, & qvod coactus Rex Fridericus, gravibuſq; qvam minis tam injuriis laceſſitus fecit, aliis per orbem Principibus, atq; ipſi adeò Friderico Regi, etiamſi has cauſas omnes amoveris, non fuiſſe denegatum.

Et populorum omnium conſvetudinem.

Et hæ qvidem Anglorum fuere poſtu-

Q latio-

Allocutio ad Anglos lationes, qvas tantum non integro poſt Bergenſem cladem anno, citius ſcilicet qvam pariunt Elephanti, prodidere chartis, & ſævis qverelis Principum auribus affuderunt: dignas obrui Oceano ſuo, anteqvam prodirent è fluctibus, & Elemento dare pœnas, in qvo prodierunt. *De acerbitate* Lubet enim palam æqvitatem orbis conteſtari, an ullum ab Anglis produci videat argumentum, qvo rei, qvâ de agitur, fides aut auctoritas fulciatur. Horum vice convitia ſunt, cavillæ ſunt, verborumq; *Et iniqvitate ſcripti* morſus & acerbitates, qvæ ſuis ipſæ ſe probris infamant. Sæviunt in gentem, cum neqveunt in cauſam, tanqvam diſceptari nulla poſſet, niſi fides & pietas deſereretur. Minutiſſimæ etiam voces, vibices ſunt & flagra, ut nulla Danorum, ne virtus qvidem, ſine ſtigmate & vulnere relinqvatur. Digna ſcilicet res, qvæ in publico ſcripto prodiret; eo iniqvior, qvo conſideratior: Et qvâ ſolennitate? Principum populorumq; comitiis: Convocati proceres, & hæc oſtentatio; dicta atrox ſententia, & hæc feritas;

ritas; ingeſta probra, & hæc iniqvitas: ſæva per ſe, ſævior qvod in ſupremâ curiâ; ſæviſſima, qvod Regis obſignetur manu: Summi loci juſtitiâ in ſupremarum poteſtatum ſummam injuriam adactâ, & ruiturâ facile per orbem, ſi in Regibus primùm concutiatur. Totum ſcriptum non ingenii opus eſt, ſed Libitinæ, qvæ novo inimicitiarum genere acerbiſſimos Angliæ hoſtes Danos pronuntiat, eo ſupplicio dignos, qvod ultimum comminiſci ac decernere vindicta poſſit. Qvantum in Anglis eſt, jam periit Dania, qvodq; olim faciet Natura, jam eorum miniſterio eſt patratum. Non opus, o boni, his minis: aliqvid acerbius morte jam pridem paſſi ſumus; jam eo telo, qvo penetrare arma non poſſunt, cœſi ſumus; convitiis. Facite, nos interfuiſſe Cromwelli conſiliis, luimus pœnas: niſi qvod tribunal ingens ſuperſit Orbis terrarum, & nobis liceat in bonâ cauſâ, qvod vobis in peſſima licuit, ad bonorum judicia provocare. Et provocat nobiſcum Europa, & in Europa Principes, veſtris convulſi

Et odio ſæviſſimo in Donorum nomen.

diſſidiis; provocant intercepta littora; clauſa maria, & raptus propemodum Orbis terrarum. Qvam diu, claſſibus fœdabimus maria, tellurem cædibus; populorum ſangvinem, ac qvod ſanctius hôc nomen eſt, Chriſtianorum effundemus? eo uſq; propagato incendio, ut velut maria orbem, ita marinum bellum omnes terras involvat: ſpectante Turca, & noſtris inſultante cladibus, qvi, arreptâ unde unde creſcendi opportunitate, extulit claſſicum ad communem Orbis ſervitutem, & populis ubiq; cum corporum ſtrage, etiam animorum excidium procurat. Jam pridem, poſt tot annos conſceleratos ſangvine, poſt alterum Romanæ Aqvilæ decerptum caput; poſt tot orbis regna tanqvam falce demeſſa, & in fatalem illam imperiorum voraginem detruſa, Sarmatiam jam omnem perſultat armis, ut ab hoc demum latere qvatiat Europam, non bello alium, ſi qvod cœperit, qvam Chriſtianæ rei finem impoſiturus. Qvin huc ruitis Principes, & fortitudinis gloriam cumulatis pietate?

Allocutio ad Principes Europæ ut reducta pace

Ad-

Adſunt religio & virtus, auſpices victoriarum: nec unqvam glorioſius purpura, qvam in hoc cruore rubuerit, ubi cladem omnem non noſtra jam, ſed Dei cauſa excludit. Video diem, video: qvô, ſiccato odiorum fonte, qvi nunc cruentus fluit; cum expunctâ ira & verſo in gratulationem livore, in antra tenebraſq; ſuas furor & malignitas recedent; paxq; ſanctior terris, ac qvod ſperamus, æterna inter Principes regnabit. Tunc junctis copiis, & valentiore aliqvantum pietate, Thraciam invadent, ſpoliarium & carcerem Orbis, ut exciſis impiorum altricibus terris, beatum illud repetant ſolum, qvod ſuo olim gremio univerſum redemptionis noſtræ pondus excepit: Pugnabunt ſuis, & qvod glorioſius, Chriſti auſpiciis: felices ſi vicerint, & glorioſi etiam, ſi vincentur.

Et ſtabilit per orbem concordia &

In Turcam

Nominis Chriſtiani hoſtem

arma & impetum convertant.

Bav. & Aus. 347.
27. I 05
[illegible] – [illegible]